LIBRARY OF PRINCETON
NOV 7 1913
THEOLOGICAL SEMINARY

BT 695 .N6 1912
Noort, Gerardus Cornelis
van, 1861-1946.
Tractatus de Deo creatore

DE DEO CREATORE

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Princeton Theological Seminary Library

https://archive.org/details/tractatusdedeocr00noor

LIBRARY OF PRINCETON
NOV 7 1913
THEOLOGICAL SEMINARY

TRACTATUS

DE DEO CREATORE

QUEM IN USUM AUDITORUM SUORUM CONCINNABAT

G. VAN NOORT

PAROCHUS AMSTELODAMENSIS

OLIM S. THEOL. IN SEMINARIO WARMUNDANO PROFESSOR

EDITIO ALTERA RECOGNITA

AMSTELODAMI
Apud: C. L. VAN LANGENHUYSEN
1912

NIHIL OBSTAT

ULTRAJECTI, die 8a Dec. 1911

DR. J. TH. BEYSENS
ad hoc deput.

TYPIS: AMSTELODAMI, H. J. KOERSEN

TRACTATUS

De Deo Creatore[1]

Doctrinam de ipso Deo, qui unus et trinus est, excipit doctrina de operibus Dei ad extra, quorum primum, ceterorum omnium praesuppositum, est creatio, a qua praesens tractatus nomen accepit. Nihilominus non de sola institutione naturae agit, sed insuper de elevatione creaturarum rationalium ad ordinem supernaturalem, atque de primitivi ordinis perturbatione, mox per peccatum inducta. Universam materiam in tres dividimus sectiones, quaram prima erit *de creatione generatim*, aliae duae de creaturis rationalibus, *de angelis* scil. et *de hominibus*. I.

SECTIO I

DE CREATIONE GENERATIM

Agetur in *cap. I°* de productione creaturarum a Deo, in *II°* de providentia Dei naturali, in *III°* de ordine supernaturali in abstracto.

---

[1] Praeter Auctores universam theologiam dogmaticam pertractantes, speciales de hac materia tractatus ediderunt e. g. D. Palmieri, *de Deo creante et elevante*, Romae, 1877; C. Mazzela, *de Deo creante*, Ed. 2, Romae, 1880; B. Jungmann, *de Deo Creatore*, Ed. 4. Ratisbonae, 1883; F. Satolli, *de Operationibis divinis*, Romae, 1885; J. H. Oswald, *Die Schöpfungslehre*, Ed. 2, 1893; P. Einig, *de Deo creante*, Treveris, 1898; Lahousse, *De Deo creante et elevante*, Brugis, 1904; F. Pignatoro, *De Deo Creatore*, Romae, 1905; M. de Baets, *Quaestiones de operationibus divinis, quae respiciunt creaturas*, Lovanii 1906; J. H. Selten, *De Deo creatore*, Buscoduci, 1904.

CAPUT I

DE PRODUCTIONE CREATURARUM A DEO

Duo sunt consideranda: creatio prima, qua Deus quidquid praeter ipsum est ex nihilo produxit; et creatio, quae vocatur, secunda, qua Deus hunc mundum adspectabilem ex materia jam condita efformavit.

ART. I

DE PRODUCTIONE CREATURARUM EX NIHILO [1]

Doctrinam catholicam breviter comprehendit S. BONAVENTURA: „Principium perfectissimum, quia nullo in agendo indiget extra se, necesse est, quod habeat intentionem *triplicis causae* respectu cujuslibet creaturae, scil. *efficientis*, *exemplaris* et *finalis*." [2].

2. PROP. I. **Deus universum mundum creavit ex nihilo.**

Universus mundus complectitur „utramque creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam" [3] Vox *creare* sumitur in sensu stricto et significat *productionem rei ex nihilo sui et subjecti.* In omni productione terminus ad quem, ante effectionem, non erat, undo omnis effectio est productio *ex nihilo sui;* sed in aliis productionibus habetur terminus a quo, causa materialis, materia ex qua, cui nova forma aut substantialis aut accidentalis inducitur; notio vero creationis excludit praejacentem materiam, subjectum ex quo res fiat: est igitur productio rei non solum ex nihilo sui, sed insuper *ex nihilo subjecti.* In eumdem sensum creatio dicitur productio rei „secundum totam suam substantiam" [4], quia scil. non solum aliquod

---

[1] S. THOM. *S. Th.* I. 44—46. — [2] *Brevil*, 2, 1. — [3] Conc. vatic. *De fid. cath.* cp. 1. — [4] L. c. can. *de Deo creat.* 5; S. THOM., *S. Th.* I, 65, 3, c.

principium constitutivum substantiae (puta formam), sed integra substantia, secundum omnia sua constitutiva, producitur.

Vides particulam „*ex* nihilo" non designare causam materialem, sed absentiam hujus causae. Praeterea indicat ordinem seu successionem, non realem tamen sed logicam [1].

Ex dictis sequitur, creationem non esse motum seu mutationem, „nam de ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius; . . . sed in creatione, per quam producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum" [2]. Hinc creatio necessario fit in instanti, quia „in his quae fiunt sine motu, simul est fieri et factum esse" [3]. Quia autem „subtracto motu ab actione et passione, nihil remanet nisi relatio", insuper sequitur, quod creatio (quae *active* sumpta „significat actionem divinam, quae est ejus essentia cum relatione [rationis] ad creaturam",) *passive* sumpta nihil aliud sit in creatura quam relatio aut habitudo [realis] creaturae ad creatorem cum quadam novitate seu inceptione". Dicitur „cum inceptione", quia quamvis relatio dependentiae semper remaneat in creatura, haec tamen non semper dicitur creari, sed tunc tantum, quando *incipit* esse [4]. 3.

Demum observandum, quod *solae substantiae* proprie dicuntur creari. Quum enim creari sit accipere „esse", iis tantum vere convenit, quae sensu stricto sunt entia; „sicut igitur accidentia et formae et hujusmodi, quae non subsistunt, magis sunt coexsistentia quam entia, ita magis debent dici concreata quam creata" [5].

Creatio, cujus notionem exposuimus a theologis saepius vocatur *creatio prima*, ut distinguatur a creatione illa secunda, quam supra memoravimus, et quae non nisi sensu improprio creatio vocatur.

Propositio, quae tum materiam infectam materialistarum,

---

[1] *S. Th.* I, **45**, 1, ad 3. — [2] L. c. 2, ad 2. — [3] L. c. ad. 3. — [4] L. c. 3. — [5] L. c. 4.

tum quamlibet identificationem hujus mundi cum Deo pantheistarum, tum dualismum manichaeorum et gnosticorum excludit, est *fidei dogma* ex CONC. VATIC.: „Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam, a Deo ex nihilo esse productas, a. s." [1].

4. *Probatur*. 1° Ex *S. Scriptura*. — **A**. Concedendum est, non dari in Scriptura aliquem textum singularem, qui omnium rerum productionem *ex nihilo* ita diserte enuntiet, ut nulla explicatione indigeat, aut nulli difficultati locum relinquat; at qui universam tum V. tum N. Testamenti doctrinam de Deo et de relatione creaturarum ad ipsum consideraverit, agnoscet creationem ex nihilo ibi certo contineri. Etenim docetur:

a. Solum Deum a se et per se esse [2]; omnia vero alia, ipsi comparata, esse tamquam nihilum [3]; quod utique verum non esset; si res creatae omnem suam entitatem a Deo non haberent, i. e. si non essent productae ex nihilo.

b. Deum esse omnium rerum principium et finem [4]; omnia vero alia esse ex ipso et per ipsum et in ipsum [5]; quodsi daretur materia infecta, profecto non omnia ex Deo et per Deum et in Deum essent.

c. Deum esse omnium dominum absolutum et prorsus independentem [6]; non datur igitur materia praeexsistens, quae saltem quoad primum suum esse divino dominio non subesset.

5. **B.** Magis explicite dogma nostrum asseritur primis Scripturae verbis: „In principio creavit Deus coelum et terram".— Nomine „coeli et terrae" aut omnis omnino creatura [7], aut verius omnis creatura corporalis [8] intellegitur. Designari autem

---

[1] L. c. can. 5. — [2] *Exod.* 3, 14. — [3] *Sap.* 11, 23; *Isa.* 40, 17. — [4] *Isa.* 48, 12; *Apoc.* 1, 8. — [5] *Rom.* 11, 36; *I Cor.* 8, 6; *Colos.* 1, 16—17. — [6] *I Par.* 29, 11—14; *Ps.* 88, 12—13; *Isa.* 44, 24; *Judith*, 16, 17; *Esther* 13, 9; *Heb.* 1, 10—12. — [7] Ita v. g. S. AUGUST. *De Civ.* 11, 33. — [8] Ita S. THOM. *S. Th.* I, 65, 3, c.

productionem ex nihilo colligitur: **a.** ex ipso verbo בָּרָא, cujus kal semper adhibetur de operatione exclusive divina, et fere semper de creatione stricte dicta [1]; **b.** ex scopo auctoris, qui totam totius mundi originem a solo Deo docere voluit; **c.** ex universa traditione tum judaeorum tum christianorum. Traditionis judaicae insigne testimonium habemus in effato matris Machabaeorum: „Peto nate, ut adspicias ad coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, et intellegas, quia ex nihilo [ἐξ οὐκ ὄντων] fecit illa Deus" [2].

2° Ex *Traditione*. S. Patres creationem universi ex nihilo saepe inculcant tum contra philosophos gentiles, tum contra diversi generis haereticos. HERMAS: „Primum omnium crede, unum esse Deum, qui omnia creavit et consummavit, et ex nihilo fecit omnia ut sint" [3]. TERTULLIANUS: „Quod colimus Deus unus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit in ornamentum majestatis suae; unde et graeci nomen mundo κόσμον accommodaverunt" [4]. **6.**

3° Ex *ratione*. S. THOMAS [5]: „Necesse est dicere, omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid

---

[1] Cfr. HUMMELAUER et HOBERG, in h. l.; ZAPLETAL, *Der Schöpfungsbericht*, p. 10. — [2] *II Mach.* 7, 28. — Quum mater Machabaeorum a Scriptura laudetur ut „supra modum mirabilis", et „repleta sapientia" (v. 20—21), multi theologi concludunt, singula ejus verba a Spiritu S. approbari. At conclusio certa non est, Cfr. ZANECCHIA, *Divina Inspiratio*, n°. 154. — Doctrinae supra traditae non obstant verba *Sap.* 11, 18; „Creavit orbem terrae ex *materia invisa* (ἀμορφου ὕλης)"; facile enim intellegi possunt de creatione secunda, nam ad ostendendum Deum loco parvorum animalium ursos et leones Aegyptiis immittere potuisse, satis erat provocare ad creationem secundam, ad quam pertinet primorum animalium formatio. — Etiam verba *Hebr.* 11, 3; „Fide intellegimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex *invisibilibus* visibilia fierent", a multis exponuntur de creatione secunda, et favet verbum „aptari" (καταρτίζω); s. Thomas per „invisibilia" intellegit „rationes rerum, quae sunt in mente divina" (*S. Th.* I, 65, 4, ad 1; cfr. etiam *Rev. Biblique*, 1907, p. 88.) — [3] *Past.* mand. 1, 1. — [4] *Apol* 17. — [5] *S. Th.* I, 44, 1, c; cfr. *S. c. G.* 2, 15—16.

invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo, cui essentialiter convenit. Ostensum est autem [1], quod Deus est ipsum esse per se subsistens; et iterum ostensum est [2], quod esse subsistens non potest esse nisi unum. Relinquitur ergo, quod omnia alia a Deo non sint suum esse, sed participent esse."

Celebris objectio est: *ex nihilo nihil fit!* Verum est, nihil fieri absque causa efficiente; verum est, nihilum non esse causam materialem alicujus entis; verum denique est, causas secundas nihil producere posse absque materia praeexsistente; sed minime sequitur id etiam apud Deum impossibile esse. Indigentia enim subjecti patientis, quum ex limitata activitate subjecti agentis procedat, in Deum, qui est actus purus et illimitatus, cadere nequit. Merito igitur S. IRENAEUS: „Deus autem quam homines hoc primo melior est, quod materiam suae fabricationis, cum antea non esset, ipse adinvenit" [3].

7. **Scholion.** *De modo creationis.*

1. **Solus** *Deus universum mundum creavit. — Dogma fidei* est ex CONC. LATER. IV: „Unus solus est verus Deus . . ., unum universorum principium, creator omnium" [4]. Revera aperte *Scriptura*: „Ego Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus stabiliens terram et nullus mecum" [5]; unde merito AUGUSTINUS: „Neque fas est ullius creaturae, quamlibet minimae . . ., creatorem nisi Deum credere ac dicere" [6].

Hoc posito quaeri solet: *num repugnet creatura creans* [7]? Qua in re **a.** *certum* est, nullum creaturam posse esse causam *principalem* alicujus creationis, ita scil. ut virtute propria aliquid creare posset. Scriptura insinuat, ss. Patres aperte docent, creationem esse opus divinum omnino incommunicabile [8]. Idem dictat ratio: enti limitato virtus illimitata convenire nequit; atqui virtus creativa de se est virtus illimitata;

---

[1] I, 3, 4. — [2] I, 11, 3—4. — [3] *Adv. Haer.* II, 10, 4. — [4] Cfr. DENZ. *Enchir.* n⁰. 355. — [5] *Isa.* 44, 24. — [6] *De Civ.* 12, 24. — [7] Cfr. *S. Th.* I, 45, 5; *S. c.* G. 2, 21; *de Pot.* 3, 4. — [8] Cfr. v. g. HEINRICH, *Dogm. Theol.* V, § 262, PESCH, *Prael. Dogm.* III, n⁰ 27.

ergo — Prob. minor: actio creandi nullo modo a materia pendet et solo voluntatis actu perficitur; actus autem voluntatis se aequaliter extendit ad omnia quae rationem entis habere possunt; ergo qui haberet virtutem creandi eo ipso omnia intrinsece possibilia creare posset.

Deinde **b.** *communius* docent auctores contra Lombardum [1] et Suarez [2], creaturam ne quidem ut causam *instrumentalem* physicam adhiberi posse ad aliquid creandum. Etenim de ratione causae instrumentalis est, quod propria actione operetur dispositive ad effectum principalis agentis; atqui ipsa notio creationis talem dispositionem effectui principalis agentis praeviam excludit; ergo in creatione non est locus causae instrumentali. — Prob. minor: in creatione effectus principalis agentis est esse; causa igitur instrumentalis actione propria deberet producere dispositionem ad esse, i.e. aliquid medium inter nihilum et ens; tale autem medium non datur.

2. *Deus* **libere** *mundum creavit.* — *Dogma fidei* est ex **8.** CONC. VATIC. „Si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum, a. s." [3]. Intellegitur libertas non solum a coactione, sed imprimis a necessitate naturae, libertas tum contradictionis (qua Deus potuit aut creare aut a creando abstinere), tum specificationis (qua Deus potuit aut hunc aut alium mundum creare). Scriptura aperte dicit, Deum operari „omnia secundum consilium voluntatis suae" [4]. Idem docent ss. Patres, e. g. s. IRENAEUS: „Ipse omnia libere fecit, et quemadmodum voluit" [5]. Ceterum confer quae dicuntur in tract. *de Deo uno*, circa voluntatem Dei [6]. Neque in contrarium facit adagium: „bonum est diffusivum sui"; nam sensus est: bonum, i. e. res ut objectum appetitus, facit appetere media ad ipsum, a. v. finis bonitatem seu appetibilitatem suam communicat mediis.

---

[1] *Sent.* IV, 5, 3. — [2] *Metaphys.* Disp. 20, s. 5. — [3] Can. *de Deo Creat.* 5. — [4] *Ephes.* 1, 11. — [5] *Adv. Haer.* III, 8, 3. — [6] *De Deo*, n⁰ 103.

9. Dogma catholicum de libertate Dei in creando excludit *Optimismum*, illam scil. opinionem Leibnitzii aliorumque, secundum quam Deus in creando teneretur ad optimum. Sane si teneretur ad optimum, non esset ab omni necessitate liber, careret enim libertate specificationis. Verum quidem est, causam perfectissimam perfectissime operari debere, sed inde sequitur tantum Deum modo perfectissimo operari, minime vero effectum extra Deum debere esse perfectissimum [1]. Quinimo mundus absolute optimus repugnat: creatura enim, quantumvis perfecta supponatur, necessario finita est, unde semper alia, magis perfecta, cogitari potest.

10. 3. *Deus mundum creavit* **in tempore**. — Quum tempus sit „numerus motuum [seu mutationum] secundum prius et posterius" [2], evidens est, non exstitisse tempus antequam exsisterent entia mutationibus obnoxia, i. e. creaturae; unde S. AUGUSTINUS: „Procul dubio non est factus mundus in tempore, sed cum tempore" [3]. Sed sensus assertionis est, mundum *initium habuisse*, et non ab aeterno creatum fuisse. Ita autem est *fidei dogma* ex CONC. VATIC.: „Deus . . . ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam" [4]. Et merito ita profitemur, dicente Scriptura: „Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio" [5]. Ita etiam intelligendum est illud: „In principio creavit Deus coelum et terram" [6]. Neque obstat ratio; quamvis enim actio creandi in Deo, quum a divina essentia realiter non distinguatur, aeterna sit, minime sequitur etiam terminum externum ab aeterno fuisse. Deus enim aeterno voluntatis suae actu determinavit, tum ut mundus fieret, tum ut hoc determinato tempore firet [7].

11. De quaestione, num ratione probari possit mundum habuisse initium, a. v. *num repugnet mundus vel saltem aliqua creatura*

[1] Cfr. *S, Th.* I, 25, 6, ad 1. — [2] S. THOM. l. c. 10, 1, c. — [3] *De Civ.* 11, 6. — [4] Const. *De fid. cath.* cp. 1; cfr. DENZ. n⁰ 428. — [5] *Prov.* 8, 22; cfr. *Jo.* 17, 5; *Ephes.* 1, 4. — [6] *Gen.* 1, 1. — [7] Cfr. *S. c. G.* 2, 35.

ab aeterno creata, non conveniunt auctores. Non agitur utique de creatura stricto sensu aeterna, sed quaestio est: num dari posset aliqua creatura, cujus duratio a parte ante non habuisset initium, quamvis a parte post continuo augeretur. Jam s. THOMAS, quem multi ex ejus schola sequuntur, dicit: „Mundum non semper fuisse sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest" [1]. S. BONAVENTURA cum aliis plurimis docet: „Ponere mundum aeternaliter productum, omnio est contra rationem, hoc enim implicat in se manifestam contradictionem" [2]. Consulantur philosophi. Monemus tamen argumenta pro exsistentia Dei ita esse construenda, ut non temporalitate, sed contingentia mundi nitantur. Quid enim reponeres adversario respondenti: ipse catholicae philosophiae coryphaeus, s. Thomas, materiam ab aeterno exsistentem impossibilem dicere non est ausus.

4. *Causa mundi sunt Pater, Filius et Spiritus S., quatenus sunt unum essentia.* — *Dogma fidei* est ex CONC. FLOR.: „Pater et Filius et Spiritus S. non [sunt] tria principia creaturae, sed unum principium" [3]. Omnia siquidem opera ad extra tribus personis sunt communia. Quum igitur creaturae procedant a Deo, non ut est trinus, sed ut est unus, et quum creaturae Deum solum repraesentent, secundum quod est causa, earum, sequitur Trinitatem personarum ex creaturis cognosci non posse. Quodsi theologi nihilominus dicunt, posita revelatione in singulis creaturis inveniri posse aliquam repraesentationem ss. Trinitatis, aut per modum imaginis, aut saltem per modum vestigii, id unum intellegunt: in singulis creaturis plus minusve relucere ea attributa essentialia, quae divinis personis appropriari solent [4]. **12.**

PROP. 2. **Deus mundum juxta aeternas suas ideas creavit.** — Certum est. **13.**

Idea, seu idea exemplaris, quae etiam causa exemplaris

[1] *S. Th.* I, 46, 2, c. — [2] *In II Sent.* d. 1, p. 1, a. 1, q. 2. — [3] DENZ. n⁰. 598. — [4] Cfr. *S. Th.* I, 45, 7.

dicitur, est „forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem" [1]. Ideae igitur divinae sunt rationes seu *conceptus rerum creandarum, in divino intellectu exsistentes*. Adjunximus autem vocum: *aeternas*, ut indicetur, ideas illas esse primas causas exemplares rerum; si enim ab aeterno in mente divina exsistunt, utique aliunde mutuatae non sunt.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura:* „Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita" [2].

2° *Ratione*. Evidens est, Deum in creando per intellectum egisse, ergo in mente sua habuit ideas exemplares, secundum quas res faceret. Has autem ideas non aliunde hausit, tum quia non erat unde eas hauriret, tum potissimum quia scientia Dei plane independens est. Ergo ideae divinae sunt primae causae exemplares omnium rerum [3].

14. **Scholion**. *De pluralitate idearum, necnon de cognitione matutina et vespertina.*

1. Quia, teste AUGUSTINO, „singula propriis sunt creata rationibus" [4] locuti sumus de ideis divinis in plurali. Et merito; in quantum enim idea dicit *res intellectas* a Deo, pluralitas idearum in Deo est; nec officit ejus simplicitati quod plura cognoscit. In quantum vero idea dicit *medium, quo* Deus omnia cognoscit, una tantum in eo admittenda est idea, quae est ipsa divina essentia, non qua essentia est, sed quatenus est intellecta a Deo ut diversisimis modis imitabilis ad extra. — Res alio modo ita enuntiari potest. Formaliter loquendo in Deo una tantum idea est (medium, quo Deus intellegit), quae est ipsa divina essentia; sed quum Deus hac idea plurima simul cognoscit, ipsa virtualiter multiplex est, aequivalet enim multis ideis (verbis, speciebus expressis) in nobis. Vides ideas divinas ab ipso Deo non realiter distingui;

---

[1] S. THOM. *de Ver*. 3, 1. — [2] *Eccli*, 23, 29. — [3] Cfr. S. *Th*. I, 15, 1; 44, 3. — [4] *Lib. 83 Quaest.* qu. 46, 2.

hinc eodum prorsus sensu dicitur: ideae divinae sunt primae causae exemplares rerum, et: Deus est prima causa exemplaris rerum.

2. Ideae divinae, juxta quas creaturae factae sunt, aliquando vocantur mundus *intellegibilis* aut idealis: κόσμος νοητός; ipsae vero creaturae mundus *sensibilis* seu realis: κόσμος αἰσθητός. Praeterea ideae, quum sint terminus intellectionis divinae, appropriantur Verbo seu Filio. Hinc explicatur, quo sensu s. Augustinus in angelis distinguere potuerit cognitionem creaturarum matutinam et vespertinam [1]. *Cognitio matutina* vocatur illa, qua angeli res creatas cognoverunt in Verbo, videndo scil. earum ideas exemplares; *vespertina* vero, qua creaturas cognoverunt in seipsis, id est: per species creatas. „Cognitio quippe creaturae in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est" [2]. 15.

PROP. 3. **Deus mundum ad suam gloriam creavit.** 16.

1. Aliud est quaerere *rationem volitionis divinae* mundum creantis: motivum ipsius Creatoris; aliud quaerere *finem creaturis praefixum*, n. p. id, ad quod ipsae res creatae ex voluntate Dei ordinantur.

Ex tract. *de Deo Uno* constat, divinam bonitatem esse unicam rationem, propter quam Deus vult quidquid extra seipsum vult. Amor igitur suae bonitatis divinam voluntatem movit ad creandum, i. e. ad condendum extra se quasdam similitudines seu adumbrationes propriae suae perfectionis: en finem Dei creantis, motivum divinae volitionis in sua terminatione ad creaturas. Hinc CONC. VATIC.: „Deus bonitate sua [ratio divini decreti] et omnipotenti virtute [principium exsequens], non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae

---

[1] *De Gen. ad lit.* IV, 22. — [2] *De Civ.* 11, 7; cfr. 29.

creaturis impertitur,... condidit creaturam" [1]. Et haec quidem probatione non amplius indigent; unde hoc loco spectamus *finem creaturis praefixum*, et quidem finem illarum *absolute ultimum*.

17. 2. *Gloria Dei* alia est interna, alia externa. *Interna* est ipsa infinita divinae naturae perfectio, propter quam aestimari et laudari meretur [2]; *externa* est glorificatio Dei per creaturas. Haec iterum duplex est, n. p. *objectiva*, quae consistit in manifestatione divinarum perfectionum per creaturas quascumque, et *formalis*, consistens in agnitione et laude divinarum perfectionum per creaturas rationales. Haec ultima optime definitur a s. Ambrosio: clara cum laude notitia. — Evidens est, creaturas nihil omnio conferre posse ad gloriam Dei internam, quae infinita quum sit, augmenti aut diminutionis capax non est [3]. Igitur propositio agit de *gloria Dei externa*, quae est aliquid extra Deum, augmenti et diminutionis capax. — Prop. est *fidei dogma* ex CONC. VATIC.: „Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, a. s." [4].

18. *Probatur*. 1° Ex *s. Scriptura:* „Ex ipso et per ipsum et in ipso [εἰς αὐτον] sunt omnia: ipsi gloria in saecula" [5]. — „Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque in diem malum" [6].

2° *Ratione*. Deus utpote sapientissimus et sanctissimus omnia recte ordinare debuit; rectus autem ordo postulat, ut imperfecta perfectioribus subdantur, et omnia demum in bonum perfectissimum, quod est Deus ordinentur. Quum tamen bono divino intrinsece nihil addi queat, creaturae hac tantum ratione in bonum divinum ordinari possunt, ut illud extrinsece promoveant, cedendo scil. in gloriam Dei externam.

---

[1] Const. *de Fid cath.* cp. 1. — [2] Igitur *gloria Dei interna* coincidit *cum beatitudine Dei objectiva* (objectum, cujus possessione Deus beatus est), et a nobis concipitur ut objectum *beatitudinis divinae formalis* (actus, quo beatus est). — [3] Idem valet de beatitudine Dei. — [4] Can. *de Deo creat.* 5. — [5] *Rom.* 11, 36. — [6] *Prov.* 16, 4; cfr. *Ps.* 18, 2; *Eccli.* 17, 7—8; *Rom.* 1, 20.

Objiciunt Hermes aliique, doctrinam expositam Deum facere ambitiosum; — sed perperam Ambitionis est proprium honorem inordinate quaerere; atqui Deus condendo mundum ad suam gloriam ordinatissime egit, nam rectus ordo exigit ut cuncta inferiora in summum bonum ordinentur. Objectio non distinguit inter creatorem et creaturam. Creatura quiescendo in gloria sua peccat; sed quare? Quia ipsa, utpote creatura, summum bonum non est. Et similiter Deus peccaret, si, per impossibile, non omnia ad semetipsum referret. 19.

Scholion. *De fine secundario creaturarum.* — Cum fine mundi primario, qui est gloria Dei, intime cohaeret finis ejus secundarius, n. p. felicitas creaturae rationalis. 20.

Deus creaturas rationales condens ad suam gloriam, eo ipso iis indidit necessariam tendentiam ad bonum divinum cognitione et amore perfectissime possidendum. Atqui perfecta possessio boni, ipsi in finem propositi, creaturae rationali gaudium affert, eamque felicem reddit. Igitur perfecta assecutio finis primarii, perfecta cognitio et amor divinae bonitatis, simul constituunt beatitudinem ipsius creaturae rationalis.

Creaturae irrationales, neque ipsae Deum formaliter glorificare queunt, neque propriae felicitatis capaces sunt. Quemadmodum igitur ad gloriam Dei formalem mediate tantum concurrunt, praebendo scil. creaturae intellectuali materiam, unde divinam bonitatem agnoscat et laudet, ita etiam in ceteris proxime ad usum et servitium rationalis creaturae ordinantur. Sic igitur Deus est finis ultimis totius creationis, ut simul sit finis proximus creaturae intelligentis, haec vero finis proximus creaturae materialis.

At vero probe intellegendum est, felicitatem creaturae intellectualis non esse nisi finem *secundarium* creationis, quum Deus eum non primario, sed tantum in ordine ad suam gloriam intendere potuit. Neque solum secundarius est, sed etiam *conditionatus*, nam ejus assecutio ex ordinatione divina a recto libertatis usu pendet. Quum igitur omnes creaturae, sive materiales sive rationales, necessario cedant in gloriam

Dei, in creaturis rationalibus a modo et mensura, qua Deum glorificare elegerint, dependet, utrum ad beatitudinem perveniant necne.

Art. II

De formatione mundi corporei ex materia creata [1]

21. Nihil impediebat, quominus Deus ipsa creatione mundum corporeum produceret secundum eam formam ac statum, quem nunc habet; at Scriptura opus formationis ab opere creationis distinguit, et scientiarum naturalium periti uno ore clamant, praesentem „coeli et terrae" statum a primitiva earum conditione plurimum differre. Hinc quaestio de *modo et ordine*, quo Deus ex materia creata mundum nostrum adspectabilem finxit atque formavit. Quae quaestio ad theologiam non spectaret, nisi circa eam nonnulla legerentur in s. Scriptura, et quidem talia, quae prima facie videntur e diametro pugnare cum placitis scientiae naturalis. Unde in hoc art. id proprie quaerimus: num et qua ratione cum doctrina fidei componantur ea, quae scientiarum cultores aut ex „libro naturae" proferunt, aut per modum hypotheseos defendunt. Dicemus primo de *cosmogonia biblica*, deinde *de evolutionismo*.

§ 1. *De Cosmogonia Biblica.*

22. Nomine cosmogoniae biblicae veniunt ea, quae *Gen.* **1**, 1 — **2**, 3 narrantur de opere sex dierum, sive de *hexaëmero*, adjecta requie diei septimae.

I. Praenotanda. — 1. Universa Scriptura a Deo inspirata est; at finis inspirationis totiusque Scripturae erat docere religionem, ea n.p. quorum notitia aeternae saluti proficua est. Quum nihilominus multa legantur in Scriptura, quae per se seu ratione materiae profana sunt, haec merito dicuntur inspirata per accidens, seu propter alia, n.p. propter res

[1] S. Thom. *S. Th.* I, 66—74.

religiosas, cum quibus aliqua ratione connectuntur. Facile vides, *modum et ordinem*, quo res materiales a Deo efformatae sunt, pertinere ad *res per accidens inspiratas*. Hinc duo fluunt, unum relate ad modum loquendi a Scriptura adhibitum, alterum relate ad leges interpretationis.

1. In iis, quae Scriptura praeter proprium suum finem tangit, facile admitti potest tractatio quaedam vulgaris, correspondens modo concipiendi, illorum hominum quibus liber proxime destinabatur. Potuit igitur hagiographus in suo hexaëmero res naturales describere secundum morem concipiendi antiquae gentis orientalis parum excultae, seu, quod in idem recidit, *secundum externam earum apparentiam tantum* [1]. Quod si in nonnullis externa illa apparentia, modusque loquendi in illa fundatus intimae rerum physicarum conditioni minus respondet, haud sequitur Scripturam formalis erroris ream esse: deerat enim intentio quidquam de objectiva harum rerum ratione affirmandi. Nec refert, num hagiographus sciverit objectivam veritatem sensibili apparentiae non convenire; non enim quaeritur, quid hagiographus apud semetipsum cogitaverit, sed quid in Scriptura affirmaverit. Pone virum dicentem: „quum sol altius in coelum ascenderet, debui magis ad montem accedere, ut ejus umbra fruerer", aut: „structura haec immobilis stat, sicut terra sub pedibus nostris"; quidquid ille de objectiva 23.

[1] Monuit ipse LEO XIII: „Scriptores sacros... noluisse ista (videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem) docere homines, nulli saluti profutura; quare eos, potius quam explorationem naturae recta persequantur, res ipsas aliquando describere et tractare aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in quotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos. Vulgari autem sermone quum ea primo proprieque efferantur quae cadunt sub sensus, non dissimiliter scriptor sacer (monuitque et doctor angelicus [I, 70, 1, ad 3]) „ea secutus est quae sensibiliter apparent", seu quae Deus ipse homines alloquens, ad eorum captum significavit humano more". Enc. *Providentissimus*, in *Leonis XIII allocut.* V, p. 219 (ED. DESCLÉE). Diu antea S. HIERONYMUS scripserat: „Multa in Scripturis sacris dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat". *In Jerem.* 28, 10.

solis terraeque conditione tenet, quum de illa reapse nihil affirmet, sed consueto tantum modo loquendi utatur, neque mendax est, neque errorum formalem profert. Eodem modo Scriptura, salva veracitate, potuit v.g. inducere lucum diurnam et diei noctisque vicissitudinem, ac si haec a sole non penderent; potuit describere firmamentum ut solidum quoddam tectum, super quod congregantur aquae, tempore imbrium, quando „Deus aperit cataractas coeli", descensurae [1]; potuit lunam respectu stellarum omnium vocare luminare magnum; potuit denique totam narrationem ita institutere, ac si terra esset centrum mundi. Errasset utique, si haec omnia reapse ita esse affirmasset, nunc autem nihil in hac materia affirmans, nihil negans, solummodo usus est conceptibus et sermone populi sui, ut modo ipsis intellegibili inculcaret, omnia a Deo esse profecta.

24. 2. In iis, quae Scriptura praeter proprium institutum tangit, generatim admitti potest *major quaedam interpretationis latitudo*, tum quia norma dogmatica: sensus ecclesiae, iis non ita applicatur, tum quia facilius haberi potest rasio sufficiens recedendi a sensu obvio.

Interpretationem hexaëmeri quod attinet, neque exstat decisio ecclesiae, neque unanimis sententia Patrum, uti patet ex verbis s. THOMAE: „Circa mundi principium aliquid est, quod ad substantiam fidei pertinet, scil. mundum incepisse creatum; et hoc omnes sancti concorditer docent. Quo autem modo et ordine factus sit, non pertinet ad fidem nisi per accidens, in quantum in Scriptura traditur, cujus veritatem diversa expositione sancti salvantes, diversa tradiderunt" [2]. Revera saltem a tempore s. Augustini datur explicatio a sensu obvio et communiori veterum intellectu plurimum recedens, quam doctores scholastici semper licitam habuerunt

---

[1] Cfr. *Gen.* 7, 11; 8, 2; *IV Reg.* 7, 2; *II Paral.* 7, 13; *Ps.* 103, 2, 3; 148, 4; *Job.* 37, 18. — [2] *In II Sent.* d. 12, q. 1, a. 2.

et cum reverentia tractarunt [1]. Igitur, dummodo inspiratio et veritas Scripturae inconcussae teneantur, *principia dogmatica* non vetant, quominus a sensu obvio et vulgata veterum interpretatione recedatur. Neque hanc libertatem abstulit *Decretum Commiss. pontificiae de Re Biblica*, diei 30 Junii 1909, quod in tractatu *De Fontibus* n⁰ 94 exhibuimus.

Neque liberiori expositioni obstant *principia sanae hermeneutices*. Profecto, numquam licet a sensu obvio recedere absque quadam necessitate, i. e. absque ratione vere probabili et solida [2]. At hujusmodi ratio sufficiens longe facilius habetur respectu eorum, quae per accidens tantum inspirata sunt, quam respectu aliorum: constat enim Scripturam de rebus profanis saepe minus stricte, minisque proprie loqui. Praeterea ipsa subjecta materia clamat nihil prohibere, quominus in hujusmodi rebus ratio sensum obvium relinquendi petatur ex scientiis naturalibus. Quum enim veritas veritati non contradicat, clarum est verum Scripturae sensum non esse eum, quem certa scientiae naturalis placita excludunt. Imo tum 25.

[1] Sententia s. AUGUSTINI, quam fuse expositam invenies in *de Gen. ad. litt.* IV, c. 21 seq.) huc redit. Omnia simul creata sunt uno eodemque momento; attamen creaturae organicae tunc „potentialiter", seu „secundum rationes seminales" tantum condita sunt, actu postea apparuerunt. Sex dies genesiaci significant totidem actus cognitionis angelicae de sex generibus creaturarum, quas angeli cognoverunt tum in seipsis (vespere), tum in Verbo (mane). Hanc interpretationem b. Augustinus, utique opinando tantum, ut verum et proprium Scripturae sensum proposuit (Cfr. l. c. 28). — S. THOMAS de utraque, quam cognoscebat, expositione, vulgata n. p. et Augustiniana, scribit: „Et haec quidem positio [de sex diebus naturalibus successivis] est communior et magis consona videtur litterae, quantum ad superficiem. Sed prior [s. Augustini] est rationabilior et magis ab irrisione infidelium S. Scripturam defendens.... Et haec opinio plus mihi placet. Tamen utramque sustinendo, ad omnia argumenta respondendum est" *(In II Sent.* l. c.; cfr. *S. Th.* I. 74, 2. c., ubi s. doctor neutri sententiae praejudicare voluit.). Secundum S. BONAVENTURAM positio s. Augustini „probabilis et rationabilis" est, sed vulgata „positio securius et utilius est sustinenda" *(In II Sent.* d. 13, a. 1, q. 1). — [2] Cfr. V. D. LAAR, *Introd. gen. in S. Script.* p. 337.

vulgaris prudentia, tum reverentia verbi divini vetant, ne theologus ut certum Scripturae sensum eum defendat, quem superficies quidem litterae habere videtur, sed cui ex penu scientiarum rationes vere probabiles opponuntur.

Jam recentiorum scientiarum, geologiae praesertim et palaeontologiae, cultores increduli, protestantes, catholici, unanimiter docent, mundum nostrum intra sex dierum naturalium spatium efformatum non esse. Et quamvis in illorum scientiis multa incerta sint, in hoc negotio ea proferunt argumenta, quibus assensus denegari prudenter nequit. Habetur itaque ratio sufficiens, imo vero necessitas, in explicando hexaëmero a sensu obvio nonnihil recedendi. Neque propterae locus est celebrandi victoriam scientiae de fide, aut saltem de theologia; nam explicatio olim vulgata numquam ad fidem pertinuit, theologia vero minime vincitur in eo, quod *propria sua principia applicando* interpretationem minus rectam dimittat.

26. 2. Aliud est solam causam primam memorare, aliud *causas secundas excludere*. Qui scientias naturales tradunt, solas causas secundas memorare solent; qui religionem promovere intendit, causae primae unice attendere potest, non excludendo sed dimittendo secundas. Quum igitur finis Scripturae sit docere religiosa, mirum non est, eam in singulis hexaëmeri operibus solam causam primam, Deum, memorare; neque exinde certo inferre licet: ergo in his omnibus causae secundae partes non habuerunt. Quodsi aliunde, n. p. ex scientiis naturalibus, aut certo aut saltem cum solida probabilitate ostendatur, causas secundas alicubi revera intervenisse, facile ostendimus, id veracitati Scripturae haud officere, praesertim quum ex ipsa Scriptura constet, modum productionis rerum in hexaëmero non semper complete referri. Lege *Gen.* **2**, 7, 18—22 collata cum *Gen.* **1**, 27.

27. 3. Animadvertisse juvat, hexaëmero biblico subesse *schema quoddam artificiosum*, ab ipso auctore, narrationem suam recapitulante, indicatum: „igitur perfecti sunt coeli et terra

et omnis exercitus eorum" [1]. Primo siquidem narravit praeparationem *regionem* (coeli et terra), in quibus exercitus movebuntur: primum triduum; deinde productionem ipsorum *exercituum:* alterum triduum.

1*a* dies.	Producta luce (quam omnis ordinatio praesupponit), constitutaque par eam diei et noctis vicissitudine.		
2*a* dies.	extenditur *firmamentum*, quo aquae supernae ab aquis inferioribus dividuntur (et simul exsistere incipit spatium inter aquas terrestres et firmamentum: *coelum aëreum*);		
3*a* dies.	deinde aquae inferiores confluunt in *maria*, ita ut appareat aridum seu *terra*, quae mox vestitur herba virenti atque arboribus.		
	—		—
	Jam distincta sunt receptacula, paratae regiones: „Perfecti sunt *coeli* [firmamentum et coelum aereum] et *terra* [mare et aridum"].		„Perfecti sunt *omnis exercitus* eorum".
		Producitur exercitus siderum, quae moventur in *firmamento*, et dividunt diem ad noctem;	4*a* dies.
		producuntur exercitus *aquarum* inferiorum („pullulet aqua pullulatione animae viventis") et exercitus *coeli aërei* („et volatilia volent super terram ad faciem firmamenti");	5*a* dies.
		producitur exercitus *terrae* aridae: animalia terrestria, homines quibus herba cet. dantur in alimentum.	6*a* dies.

Jam vero consideratio hujus schematis, quod logicam potius quam chronologiam sapit, id forsan efficiet, ut minus arbitraria minusque improbabilis alicui videatur sententia asserens, Scripturam non voluisse ordine *chronologico* opera creationis recensere [3].

---

[1] *Gen.* **2**, 1 secundum hebraeum, ubi legitur צְבָאָם = exercitus eorum. Cfr. hac de re ZAPLETAL, *Schöpfungsber.* p. **71**. — [2] Familiare erat Semitis sidera comparare exercitui. Pro Israelitis cfr. *Deut.* **17**, 3; *Judic.* **5**, 20; *IV Reg.* **21**, 3—5; *Isa.* **40**, 26. — [3] Doctores antiqui schema praedictum haud ignorarunt (LOMBARD. *Sent.* II, **14**, 6; s. THOM., *S. Th.* I, **65**, proöem.; **70**, 1, c.); quum tamen niterentur versione Vulgata, quae habet: „perfecti sunt coeli et terra et omnis *ornatus* eorum", posue-

28. 4. Ex quibusdam affinitatibus, quae inter hexaemeron biblicum et cosmogonius aliarum gentium, praesertim babyloniorum, exsistere dicuntur nonnulli rationalistae, duce imprimis Gunkel, inferunt s. Scripturam a mytho babylonico dependere. Factum dependentiae cujuscumque admittentes, aliqui catholici autumarunt, hagiographum aut in nonnullis accidentalibus narrationem popularem esse secutum [1], aut traditiones finitimarum gentium nonnihil respexisse eo fine, ut israelitae contra earum errores efficacius munirentur [2]. Sed affinitates, quae proferuntur, ita paucae sunt et vagae, ut haud certo ostendant, hagiographum nostrum cosmogoniam aut babyloniorum aut aliarum gentium cognovisse [3].

Ceterum cosmogonia nostra ab aliis plurimum differt; cum enim traditiones populorum erroribus polytheisticis et ineptiis scateant, materiamque improductam admittant, cosmogonia biblica purum monotheismum et creationem ex nihilo docet, nihilque Deo indignum continet; quod sane non mediocre divini auxilii argumentum est [4].

---

runt *opus distinctionis* (propter verbum *dividere*, quod in opere 1ae et 2ae diei occurrit) et *opus ornatus*. Productionem plantarum, quae sensu verissimo dicerentur „ornatus" terrae, non sine aliqua violentia ad opera distinctionis traxerunt, „quia immobiliter terrae inhaerent"(*S. Th.* I, 69, 2, ad 1). At pleno jure excluduntur a numero exercituum,qui in hebraeo a *procedendo*, i. e. a motu locali nomen habent. — [1] LAGRANGE in *Rev. Bibl.* 1896, p. 513; HOLZHEI, *Schöpfung, Bibel und Inspiration* (1902) p. 36, 41. — [2] ZAPLETAL, *Der Schöpfungsbericht*, p. 69. — [3] Cfr. NIKEL, *Genesis und Keilschriftforschung*, p. 24—124. — [4] Ipse GUNKEL: Die Verschiedenheit der babylonischen Schöpfungsgeschichte und der von Genesis I ist sehr gross, sie köntte kaum grosser gedacht werden. Dort alles wild und grotesk, himmelstürmende barbarische Poesie, und hier die feierliche, erhabene Ruhe einer weitlaüfigen und manchmal etwas nüchternen Prosa. Dort die Götter im Laufe der Dinge entstanden, hier Gott von Anfang an derselbe. Dort der Gott, der im heissem Kampfe das Ungeheuer erschlägt und aus dessen Leib die Welt bildet, hier der Gott, der spricht und es geschieht" (*Schöpfung und Chaos*, p. 118.) Und ÖTTLIS: „Man glaubt aus den wirren Phantasien eines Fieberkranken in die reine Atmosphäre gesunder Geistesklarheit und Nüchternkeit zu treten, wenn man von den babylonischen Epos her zum ersten Kapitel der Bibel kommt". (Apud NIKEL, l. c., p. 116). —

II. **Diversae expositiones.** — Apud omnes in confesso est, in cosmogonia biblica revera doceri [1]: **a.** mundum adspectabilem cum omnibus, quae in eo continentur, a solo Deo, absque labore, in tempore creatum esse; **b.** omnia, quae creata sunt, esse bona. Praeterea certum est, narrationem hexaëmeri in commendationem requiei diei septimae ordinari. Quoad cetera admodum variae inter ipsos catholicos circumferuntur expositiones, quae tamen omnes ad tres veluti formas principales revocari possunt. **29.**

1. **Explicatio litteralis,** olim communissima, in omnibus sequitur sensum obvium. Contendit itaque post creationem proprie dictam, mundum ad praesentem suum statum perductum esse intra spatium sex dierum communium, et secundum ordinem narrationis genesiacae. Ad difficultates ex scientiis naturalibus petitas diversimode respondetur. **30.**

1° Alii putant, strata geologica cum suis fossilibus [2] formari potuisse par varias inundationes, aliasque catastrophas postadamiticas, et praecipue per diluvium biblicum: *theoria diluvialis* [3].

At vero scientiarum cultores opponunt, has causas — supposita etiam universalitate geographica diluvii — prae altitudine stratorum esse omnino insufficientes. Praeterea in theoria diluviali explicari nequit, quare in omnibus stratis, formatione quaternaria antiquioribus, nulla inveniantur vestigia hominis; quare in toto systemate palaeozoico nullae prostent volucrum ac mammalium reliquiae, cet. Peculiarem difficultatem in hac theoria facit opus quartae diei. Dicitur solem, cet. quarta die non factam sed perfectam esse praesertius in sua habitudine ad terram, aut solem, cet. tunc primam visibilem fuisse.

---

[1] Abstrahimus hoc loco ab iis, quae creationem hominis respiciunt. — [2] Cfr. BEYSENS, *Ontwikk. d. organ. Soorten.* p. 8; H. HAAS, *Catechismus der Geologie*, Ed. 5, 1895; A. RAINGEARD, *Notions de Géologie*, Ed. 3, 1902. — [3] Ita inter recentiores A. BOSIZIO, *Das Hexaem. u. die Geologie*, 1865; G. J. BURG, *Bibl. Chronologie*, 1894; A. TRISSL, *Das bibl. Sechstagewerk*, 1894; DR. HAHN, *Die Entstehung d. Weltkörper*, 1895.

2° Alii putarunt, strata geologica relicta esse ex anteriori quadam creatione. Supponunt siquidem *Gen.* I, 2 describi ruinam prioris mundi a Deo destructi, versibus vero subsequentibus narrari restitutionem universi ad praesentem suum statum, intra sex dies ordinarios effectam: *theoria restitutionis* [1].

Theoria haec gratis confingit completam creationem (secundam) inter versum primum et secundum *Gen.* I, neque factis geologicis satisfacere videtur, quum strata terrestria ut plurimum non violenti quadam catastrophe, sed continuis lentisque conversionibus formata dicantur.

31. 2. **Explicatio periodistica** tenet:

1° Dies genesiacos intellegendos esse longas temporis periodos; hanc enim, aiunt, significationem ét vox יום (= dies) admittit, ét contextus suadet, quum tres priores dies certe non fuerint dies solares et septimus dies adhuc duret.

2° Hos dies-periodos cum periodis geologicis concordare (hinc nomen expositionis *concordisticae*). Antiquiores periodistae [2] putabant concordiam esse satis perfectam, recentiores [3] eam ad summa quaedam lineamenta coarctant.

Respondetur *ad 1um*. Vix admitti potest vocem יום in hexaëmero significare longam periodum, praesertim quia singuli dies habent „mane" et „vespere"; nam satis impro-

[1] Ita W. BUCKLAND, *Geology and Mineralogy*, cet. 1838; DR. WISEMAN, *Twelve lectures*, cet. 1849; A. WESTERMAYER, qui putavit angelos lapsos causam fuisse destructionis prioris mundi: *Das Alte Test. u. s. Bedeutung*, 1861; A. STENZEL, *Weltschöpfung, Sintfluth u. Gott*, 1894. — [2] Ita v. g. M. DE SERRES, *De la Cosmologie de Moise*, cet. 1838; G. CUVIER, *Discours sur les révol. du Globe*, 1812; PIANCIANI, *In hist. creat. Mosaic. commentatio*, 1851. — [3] Ita v. g. MEIGNAN, *Le monde et l'homme primitif*, 1869; GÜTTLER, *Naturforschung, u. Bibel*, 1877; BRAUN, *Ueber Cosmogonie v. Standpunkt Christl. Wissenschaft*, 1889; BOURDAIS, *Le jour génésiaque*, 1889; SCHÖPFER, *Gesch. des A. Test.* 1902; G. GERVIS, *La gloriosa Rivelazione intorno alla creazione del Mondo*, 1902. — Varia concordantiae exempla vide apud VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, II, p. 1051 (HAMARD); BRUCKER, *Quest. act. d'Écriture Sainte*, 1895, p. 167; *Natur u. Offenb.* 1898, p. 641 en 720 (WAAGEN).

babile est vesperam indicare statum informem operis, mane vero statum perfectum.

Neque valent rationes ex contextu allatae. Qui absque praejudicata opinione legerit *Gen.* 1, 4—5, videbit ibi agi de institutione diei et noctis naturalis, et concludet vocem „dies unus" significare diem civilem ex die nocteque naturali compositum. Quoad septimum diem: verum est, ejus vesperam non memorari, verum etiam est, perdurare adhuc requiem Dei, sed gratis omnino asseritur ipsum diem septimum finem nondum accepisse.

Respondetur *ad* 2um. Perfecta illa harmonia inter geologiam et dies genesiacos, quam antiquiores celebrabant, certo non adest. Convenientia in magnis quibusdam lineamentis, qualis hodie defenditur, huc fere redit. Formatio carbonica, in qua valde praedominant vegetalia responderet alteri parti diei tertiae; systema mesozoicum, quod animalibus aquaticis praesertim distinguitur, et in cujus ultima periodo (cretacea) maxime floruerunt aves, responderet diei quintae; formatio tertiaria, quae animalibus terrestribus, imprimis mammalibus praedives est, responderet diei sextae. Observa tamen voces „praedominant", „floruerunt", cet.; nam plantae et animalia praedicta etiam in stratis antiquioribus inveniuntur; quinimo palaeontologia hucusque nullum fundamentum praebet asserendi plantas ante animalia in terris apparuisse. Hinc periodistae dicunt, plantas et certas animalium classes in Scriptura certae diei tribui, non quia tunc primum apparuerunt sed quia in tali die maxime florebant et veluti proprium ejus characterem constituebant. **32.**

Atqui his consideratis videtur dicendum, convenientiam, quae reapse adest, nimis vagam esse, quam ut propter eam expositio periodistica admittatur, praesertim quia nihil est in scientiis, quod senarium numerum periodorum geologicarum vel levissime suadeat.

3. **Explicatio idealis** contendit, Scripturam in hexaëmero **33.**

non ordinem historicum secutum esse, sed idealem seu logicum. Utrum Deus uno momento omnia consummaverit necne, utrum intra paucos dies an per longas periodos, utrum mediantibus causis secundis an sine illis, Scriptura omnino non docet; sed hagiographus omnia opera Dei ad sex veluti classes revocat, distinguendo in opere creationis sex momenta logica, quae propter aliquam causam sub imagine sex dierum depinxit. [1].

Hucusque multi consentiunt, mox in diversas sententias abituri. Urget enim quaestio: quare s. auctor has praecise classes distinxit, et praesertim quare universi operis conspectum ita ordinavit, ut singula opera singulis diebus successivis attribuere videatur.

34. 1. Sunt qui respondent, totam descriptionem nihil aliud esse quam allegoriam, eo fine confictam ut universorum creatio, *Gen.* 1, 1 jam narrata, rudi populo altius inculcaretur: *allegorismus* [2]. — In idem fere recidit *poetismus*, qui totam ordinationem licentiae poeticae tribuit [3].

2. Alii aestimarunt, dies et opera non ideo distingui, ut dicatur quid olim tali die productum sit, sed ut singuli hebdomadae dies memoria alicujus creationis sanctificentur: *liturgismus* [4].

3. Alii putant, hagiographum ideo opera divina sex diebus successivis attribuisse, ut opus creationis proponeret tamquam prototypum hebdomadae, indeque occasionem sumeret inculcandi requiem diei septimae: *idealismus* in sensu strictiori [5].

35. 4. Succedit opinio p. Lagrange, putantis ordinem operum, eorumque distributionem per sex dies desumptas esse ex *populari traditione*. Hagiographus siquidem narrationem vulgarem, cujus indolem omnes noverant, sub adjutorio divini

[1] Expositioni ideali praeter S. Augustinum praeludunt illi ex Patribus, qui integrum mundum in uno instanti consummatum fuisse docuerunt: Clemens Alex., Origenes, S. Athanasius. — [2] Ita v. g. A. STOPPANI, *Sulla Cosmog. Mosaica*, 1887. — [3] Ita v. g. J. HAUSER, in *Kath. Schweizerblättern*, 1896; P. VETTER in *Tubing. Quartalschrift*, 1903, p. 110. — [4] Ita W. CLIFFORD in *Dublin Review*, 1881; E. DE GRYSE, *De Hexaëmero*, cet. 1889. — [5] Ita v. g. MICHELIS, in *Natur u. Offenb.*, 1855; REUSCH, *Bibel u. Natur*, Ed. 3 et seq.; DEPPE, in *Natur u. Offenb.* 1899.

luminis ab erroribus in materia religionis (quantum opus erat) expurgavit, cetera vero retinuit, non ea intentione, ut affirmaret mundum reapse hoc ordine et intra illud tempus confectum esse, sed quia hic modus creationem describendi admodum utilis erat ad inculcandum, cunctas res ab uno Deo solo absque labore productas esse, et simul ad commendandam sanctificationem subbati [1].

5. Denique explicationi ideali affinis saltem est *theoria visionis*, quae docet in hexaëmero describi non ipsam mundi adspectabilis formationem, sed visiones, quibus Deus Adamum de opere creationis edocuit. Supponitur etenim Adamum, recens creatum, in visione transegisse sex dies ordinarios, in quibus vidit et audivit omnia, quae in hexaëmero narrantur. Necesse non erat, visiones istas in exhibenda successione et duratione operum divinorum veritati historicae respondere, non enim ad scientias naturales, sed ad religionem docendam dabantur [2]. **36.**

Jam theoria idealis, quocumque modo proponatur, duplici praesertim premitur difficultate. **37.**

a. In ea difficilius salvatur veritas Scripturae; quomodo enim s. auctor, salva veracitate, singula opera singulis diebus tribuere potuit, idque in libro historico, quin lectores moneret, hunc ordinem non esse historicum? — Responderi potest, s. auctorem schemate artificioso, de quo n⁰. **27** locuti sumus, sates innuere, se non chronologicum sed logicum ordinem sequi. Praeterea ipsa Scriptura, ubi in aliis locis creationem secundam tangit [3], durationem et ordinem diversorum operum penitus negligere.

b. Scriptura aperte opus creationis assignat ut prototypum et fundamentum hebdomadae cum suo sabbato: „Sex diebus **38.**

[1] Ita LAGRANGE, in *Rev. Bibl.* 1896, cui ex parte saltem consentit HOLZHEI, *Schöpfung, Bibel und Inspiration*, 1902, p. 36. — [2] Ita v. g. J. H. KURTZ, *Bibel u. Astronomie* (1865); FR. V. HUMMELAUER, *Comm. in Genesim*, 1895, et *Nochmals der bibl. Schöpfungsber.*, 1898 (qui praecipuus hujus theoriae propugnator est); G. HOBERG, *Die Genesis*, 1899. — [3] *Ps.* 103, *Job*, 38.

operaberis et facies omnia opera tua; septimo autem die sabbatum domini Dei tui est . . . Sex enim diebus fecit Dominus coelum et terram et maria et omnia, quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati et sanctificavit eum" [1]. Atqui difficulter explicatur, quomodo Scriptura id facere potuerit, nisi mundus reapse intra sex dies, aut saltem intra sex tempora successiva formatus sit. — Responderi forsan posset: ut fundamentum hebdomadae assignari opus creationis, non prout reapse perfectum est, sed praecise prout habetur in Scriptura (et antiqua traditione, aut prout in visione Adae fuit exhibitum); nam eadem fere ratione Melchisedech assignatur ut typus Christi, sempiternum sacerdotium habentis. Melchisedech siquidem non realiter, sed solum secundum quod in Scriptura exhibetur, erat ,,sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem habens" [2].

39. Concludimus verbis S. THOMAE: ,,In hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem ut veritas Scripturae inconcussa teneatur; secundo cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat: ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur" [3].

§ 2. *De Evolutionismo.*

Quum nostris temporibus late divulgata sit theoria, evolutionis, necesse est breviter dicere, quid de ea *theologice* judicandum sit.

---

[1] *Exod.* **20**, 9—11; cfr. **31**, 15—17. — [2] *Hebr.* **7**, 1—3. — Audiatur e. g. VETTER: Wenn im Gesetze Mosis, nämlich im Bundesbuche *Exod.* **20**, 11, und auszerdem *Exod.* **31**, 17 das Sabbatgesetz auf dem Wortlaut des Hexaëmeron gegründet wird, so beweist dies nur den auctoritativen Charakter des Hexaëmeron fur die Zeit der Gesetzgebung, nicht aber die notwendigkeit, das Sechstagewerk zeitlich und geschichtlich zu deuten" *Tübing. Quartalschrift*, 1903, p. 111). — [3] *S. Th.* I, **68**, 1, c.

I. Nomine *Evolutionismi* (transformismi, theoriae descendentiae, vulgo etiam, etsi minus accurate, Darwinismi) comprehendimus omnia systemata, quae docent, hodiernas plantarum atque animalium species omnes ex paucis typis primitivis progressiva evolutione ortas esse. Dico „omnia systemata", nam si causas modumque progressivae evolutionis quaesieris, evolutionismi defensores plurimum differunt. Alii enim principium quoddam internum evolutionis, sive determinatum sive omnino indeterminatum, agnoscunt (Evolutionistae proprie dicti), alii causas pure mechanicas tantum admittunt (Darwiniani proprie dicti); rursum alii docent formas perfectiores subito et quasi per saltus ex inferioribus ortas esse generatione heterogenea [1]; alii id lentissime per mutationes scil. minimas sed continuas factum esse autumant [2]. 40.

Jam evolutionismus duplici veluti forma propugnari potest; aut ita, ut omnem primae causae actionem excludat: *Evolutionismus materialisticus* [3]; aut ita ut primam causam, ejusque in mundum corporeum actionem plene agnoscat: *Evolutionismus spiritualisticus* [4].

II. *Evolutionismus materialisticus*, suppositis materia infecta et generatione spontanea, docet, omnes plantarum et animalium species, ipsumque hominem, secundum totum quod est, evolutione pure mechanica prodiisse. Observa vocem: „pure *mechanica*", nam vera hujus evolutionissimi essentia in eo sita est, quod omnem causam a materia distinctam, omnem intelligentiam dirigentem: omnem theologiam excludat, totamque mutationum seriem solis materiae viribus et fortuitis illarum combinationibus tribuat. 41.

Vix opus est dicere, *evolutionismum hunc tum revelationi, tum rationi undequaque adversari.*

1° Adversatur *revelationi*, nam quocumque modo primum

[1] Ita v. g. A. Kölliker; O. Heer; St. Georges Mivart. [2] Ita v. g. J. B. de Lamarck; H. Spencer; C. Darwin; A. Russell Wallace; J. Romanes. [3] Ita v. g. L. Feuerbach; J. Moleschott; L. Büchner; C. Vogt; E. Haeckel; H. Spencer; E. Littré; H. Taine. — [4] Ita v. g. A. Gaudry; St. Georges Mivart; M. D. Leroy; J. A. Zahm; C. L. Guillemet.

caput *Geneseos* exposueris, id certo docet, omnia quae facta sunt *voluntate Dei* facta esse.

2° Adversatur *rationi*. — **a.** Materiam continuis mutationibus obnoxiam, infectam praedicare implicat, **b.** Generationem spontaneam ét ipsa, quam materialistae summis laudibus extollunt, scientia empirica respuit, ét sana ratio excludit. **c.** Multiplicem et pulcherrimum ordinem, quem in mundo admiramur, solis fortuitis atomorum motibus adscribere, est admittere effectum absque causa proportionata. Tuto dicere possumus: si ordo mundanus, qualis de facto exsistit, revera aliqua evolutione partus est, haec evolutio primam causam intelligentem adhuc evidentius manifestat, quam immediata systematis mundani constitutio et fixaram specierum productio. **d.** Hominem quod attinet, ut cetera praetereamus, ratio ostendit, in illo admittendam esse substantiam spiritualem, animam intellectivam, quae nulla evolutione oriri potest. Sed de his omnibus consulantur philosophi [1].

42. III. *Evolutionismus spiritualisticus*. Expurgato materialismo, evolutionismi spiritualistici fautores, Deum creatorem et dominum omnium ex animo agnoscentes, statuunt: **a.** primam vitam immediate a Deo esse productam; **b.** vitam animalem non sine speciali Dei interventu ex vegetali prodiisse; **c.** primos homines, saltem secundum animam, immediate solius Dei actione ortos esse. Ceterum putant, universum regnum vegetale et animale ex paucis formis simplicissimis propagatum esse, per causas a creatore ordinatas, et secundum leges ab ipso statutas.

Pauci quidam addunt, substratum illud, quod per infusionem, animae rationalis factum est corpus humanum, eadem evolutione praeparatum esse. Quum tamen de homine postea dicendum sit, in praesenti de *solius regni vegetalis et animalis* evolutione loquimur.

Evolutionismus expositus, consentientibus omnibus qui sobrie

[1] Cfr. v. g. BEIJSENS, *Ontwikkelingsgesch. d. org. soorten*, p. 34 seq.; p. 46 seq.; p. 105 seq.

judicant, non est thesis demonstrata, sed hypothesis de cujus valore scientifico admodum varie judicatur. Ex catholicis plurimi eam omnino respuunt; alii eam plus minusve restrictam amplectuntur, aut saltem ut probabilem tractant [1]. Sed quaestio de majori minorive theoriae probabilitate scientifica ad theologiam non pertinet.

Jam *evolutionismus spiritualisticus, ad explicandam originem specierum in regno vegetali et animali, salva fide propugnari potest* [2], neque enim certo s. Scripturae sensui, neque Traditioni adversatur. **43.**

1° Non adversatur *certo sensui s. Scripturae.* Quamvis enim s. Litterae, in sensu obvio intellectae, dicere videantur, distinctionem specierum statim ab initio creationis exstitisse [3], itemque non solum plantas [4], sed etiam animalia terrestria et aves [5] immediate ex materia anorganica, n. p. ex „humo" factas esse, verus sensus Scripturae, fatentibus optimis interpretibus, haud certus est.

Audiatur quantum ad *primum* CORLUY: „Tacet Scriptura modum, quo terra varietatem illam specierum produxerit, an statim, an decursu temporis, an cum specierum firmitate omnimoda, an cum relativa duntaxat. Sed et de sensu disputari posset, quem Scriptura hic assignet nomini מִין [genus]" [6]. Quantum ad *alterum* audiatur DE HUMMELAUER: „Repraesentabantur animalia in visione *Gen.* 2, 19 de terra formata. Atqui interpretum nullus se ea repraesentandi ratione cogi arbitratur, ut asserat, ejusmodi humum formandis primorum

[1] Argumenta exponuntur et ponderantur v. g. in opusculo cl. prof. BEIJSENS jam laudato. [2] Ita judicant e. g. KNABENBAUER, *in Stimmen a. Maria-Laach*, 13, 73; HEINRICH, *Dogm. Theol.* V, § 269, 5°; GUIBERT, *Les Origines*, Ed. 2, p. 149; DUILHÉ DE SAINT-PROJET, *Apologie scientif.* Ed. 4, p. 338; TANQUEREY, *de Deo creante*, n°. 43; EINIG, *de Deo creante* p. 53; MANNENS, *Theol. Dogm. Instit.* II, p. 260, cet. — [3] *Gen.* 1, 11—12; 21; 24—25. — [4] *Gen.* 2, 9; — [5] *Gen.* 2, 19. — *Gen.* 1, 20, in hebraeo ita habet: „Pullulent aquae pullulatione animae viventis, et volatile volet super terram", ita ut materia ex qua, saltem pro avibus, nullatenus indicetur. — [6] *Spicilegium.* I, p. 198.

animalium corporibus esse adhibitam, sed solam aliquam materiam. Similiter potuit Deus animalia, quae nunc sunt, e terra secundum suas species formata exhibere, omissis quae inter has et inter prima viventia intercessissent evolutionibus. Dicamus igitur, *Geneseos* textu Darwinistarum [intellegit generatim evolutionistarum] quae de plantis et animalibus sunt placita non excludi" [1].

44. 2° Non adversatur *Traditioni*. Qui enim consideraverit: **a**. plures patres et scholasticos generationem quamdam aequivocam admisisse [2]; **b**. ex sententia Augustini plantas et animalia in momento creationis „potentialiter" productas esse, et postea tantum „acceptis opportunitatibus" actu podiisse [3]; **c**. s. Thomam aliosque scholasticos non impossibilem judicasse ortum novarum specierum, quas ab initio „in quibusdam activis virtutibus" tantum creatas esse dicebant [4]; — qui haec omnia consideraverit, facile concedet doctrinam s. Patrum non ita comparatam esse, ut per eam quaelibet evolutio specierum excludatur [5].

„Pergant igitur scientiarum cultores inquirere, num inter causas secundas, quae praesentem mundi physici conditionem pepererunt, admittenda sit aliqua evolutio, dummodo parati sint stare decisionibus magisterii ecclesiastici, si quando dentur" [6].

---

[1] *Comm. in Genes.* p. 129. Idem auctor in opusc. *Nochmals der Bibl. Schöpfungsbericht* scribit: „Es lässt sich aus Genesis I nichts weder für, noch gegen den Darwinismus entnehmen" (p. 36). — [2] V. g. S. BASILIUS (*In Hexaëm.* hom. 9, 2), S. AUGUSTINUS (*de Gen. ad lit.* III, 14, 22—23), S. THOMAS (*S. Th.* I, 71, 1, ad 1; 73, 1, ad 3). Supponebant, Deum in creatione quibusdam corporibus superaddidisse specialem virtutem, qua in determinatis adjunctis nonnulla animalcula producerent. Suppositio falsa; at generatio aequivoca, ita explicata, neque materialismo favet, neque intrinsece repugnare videtur. Cfr. SANSEVERINO, *Inst. phil. christ.* Cosmol. n° 261. — [3] „Causaliter tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, i. e. producendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tamquam in radicibus, ut ita dicam, temporum facta erant, quae per tempora futura erant." *De Gen. ad lit.* V, 4, 11; cfr. *De Trin.* III, 9. — [4] Cfr. S. *Th.* I, 73, 1 ad 3; SUAREZ, *De Op. sex. dear.* l. II, c. 10, n°. 11—12. — [5] Cfr. KNABENBAUER, in *Stimmen a. Maria-Laach*, 13, p. 72—81. — [6] *Compte-rendu du 3ième Congrès scient. intern. des Catholiques*, 1895; Sect. Anthrop. p, 298. — Cfr. C. DE KIRWAN, *Où en est l'Evolutionisme*, in *Rev. Thom.* IX, p. 379.

CAPUT II

DE PROVIDENTIA DEI NATURALI

Opus creationis excipit *providentia divina*, quatenus haec, latissimo sensu sumpta, complectitur omnem curam Dei de rebus creatis: „Deus usque modo operatur conservando et administrando creaturam conditam" [1]. 45.

Dari revera providentiam divinam ita late intellectam, eamque ad omnes creaturas extendi, *dogma fidei* est ex CONC. VATIC.: „Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam quae libera creaturarum actione futura sunt" [2].

Ad providentiam istam, quatenus complectitur omnem curam divinam de rebus creatis, tria pertinent: *conservatio*, *concursus*, *gubernatio*.

PROP. 1. **Deus omnes res creatas in esse conservat, conservatione positiva et directa** [3]. 46.

Conservatio alia est *negativa*, qua quis rem, quam destruere posset, non destruit; alia *positiva*, consistens in aliqua actione conservantis. Et haec iterum duplex est; indirecta et directa. *Indirecta* habetur, si conservans actione sua removet causas corrumpentes (arcendo v. g. ignem aut aquam), vel subministrat ea, quae necessaria sunt, ne res corruptioni succumbat (v. g. suppeditando cibos, cet.). *Directa* est jugis influxus in rem, ipsam ejus permanentiam in essendo causans, a. v. est *continua communicatio ipsius esse*, quod ab initio productum fuit. Conservatione positiva directa indigent omnes creaturae; corruptibilia praeterea indigent conservatione indirecta, non quidem ut permaneant in esse simpliciter, sed ut proprium modum essendi servent. De sola conservatione

[1] S. THOM. *S. Th.* I, 73, 2, ad 1. — [2] Const. *de Fid. cath.* cp. 1. — [3] Cfr. *S. Th.* I. 104.

directa, quae annihilationi opponitur, in thesi agitur; indirecta enim, quae non annihilationi sed corruptioni opponitur, et quam Deus, si casus miraculosos seponas, mediantibus causis secundis exercet, proprie ad gubernationem pertinet.

Doctrina in prop. enuntiata est *communis et certa*. Aperte docetur in *Catech. conc. trid.*: „Quemadmodum omnia ut essent creatoris summa potestate, sapientia et bonitate effectum est; ita etiam nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutae sunt, illas conservaret, statim ad nihilum reciderent" [1].

47. *Probatur*. 1° Ex *s. Scriptura*. „Diligis enim omnia, quae sunt . . . Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur"? [2] — „[Filius Dei] portans omnia verbo virtutis suae" [3].

2° Ex *ss. Patribus*. S. AUGUSTINUS: „Sic credamus, vel si possumus etiam intellegamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant" [4].

3° *Ratione*. Creaturae omnes quocumque suae exsistentiae momento contingentes sunt, non in seipsis, sed in Deo tantum rationem sui esse habentes: sicut igitur iis opus erat influxus Dei positivus ut esse inciperent, ita singulis momentis eodem illo influxu indigent, ut in esse permaneant. Quinimo „Deus non potest communicare alicui creaturae, ut conservetur in esse sua actione cessante, sicut non potest ei communicare, quod non sit causa illius" [5].

48. *Objicitur*. Causae creatae effectui suo tribuunt, ut permaneat, ipsarum operatione cessante, sicut v. g. remanet domus cessante actione fabri; Deus autem est potentior quolibet agente creato.

Resp. Nulla datur aequalitas. — Deus *nullo praesupposito*

---

[1] P. I, c. 2, n° 21. — [2] *Sap.* 11, 25—26. — [3] *Hebr.* 1, 3; cfr. *Sap.* 1, 7; *Coloss.* 1, 17. — [4] *De Gen. ad lit.* V, 20, 40. — [5] *S. Th.* l. c. 1, ad. 2.

ipsum *esse* rerum producit, unde sequitur quod ipse omnibus rebus, quamdiu permanent, sit causa essendi.

Causae creatae *subjecto praeexsistenti* tribuunt *determinatum modum* essendi, idque applicando *vires naturales rerum praeexsistentes*. Quoties itaque desinente actione effectoris creati effectus permanet, id tribuendum est materiae viribusque praeexsistentibus, quae sunt causa effectus *secundum esse*, non vero effectori, qui proprie est causa effectus *secundum fieri tantum*, et non directe secundum esse [1].

Corollaria. Inferes 1° *conservationem esse creationem aequivalentem*. Creationi enim et conservationi idem effectus extra Deum respondet, scil. ipsum *esse* rerum; at creationi respondet esse *cum novitate*, conservationi esse *cum continuitate*. Hinc conservatio non quidem nova creatio dicenda est, quasi Deus singulis momentis influeret esse cum incoeptione; optime vero continuata creatio vocari potest: „Conservatio rerum non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua [Deus] dat esse" [2]. Consequens est, quod sicut creare, ita et conservare sit actio immediata solius Dei, nulli creaturae communicabilis. 49.

Inferes 2° *annihilationem nihil aliud esse quam cessationem a conservatione*. „Si Deus rem aliquam redigeret in nihilum, hoc non esset per aliquam actionem, sed per hoc, quod ab agendo cessaret" [3]. Sequitur Deum, eumque solum, creaturam quamlibet in nihilum redigere *posse*; de facto tamen nulla res a Deo annihilatur; quod saltem quantum ad spiritus separatos et homines de fide est [4].

PROP. 2. **Deus omnibus rebus creatis immediate et physice ad agendum cooperatur** [5]. 50.

Cooperatio Dei ad actiones causarum secundarum *concursus*

---

[1] Cfr. *S. Th.* l. c. 1, c; BEYSENS, *Theol. Nat.* III, p. 9; TONGIORGI, *Inst. Philos.* Theol. n° 296. — [2] *S. Th.* l. c. 1, ad 4. — [3] L. c. 3, ad 3. — [4] Cfr. *S. Th.*, l. c. 4. — [5] Cfr. *S. Th.* I, 105, 5.

seu *motio* dicitur. Supponendo concursum *mediatum*, quo Deus creaturis dat et conservat vires ad agendum, iisque providet media, quibus fiant proxime expeditae ad operandum, hic statuimus concursum *immediatum*, per quem Deus ad ipsum actum causae creatae cooperatur. Intellegimus autem concursum non moralem, qui suadendo, jubendo, cet. exercetur, sed *physicum*, quo Deus ipsum esse actionis causae secundae vere efficit (scil. ut causa prima, minime excludendo actionem causae secundae, uti patet ex ipsa voce *con*cursus). Concursus iste, quia cunctis creaturis, ut in naturales suos actus exire valeant, necessarius est, *naturalis* et *universalis* vocatur; differt itaque a gratia, concursu supernaturali et speciali, quo creaturae rationales subinde moventur ad operandum ultra suum ordinem.

Doctrina prop. in sensu explicato est *communis et certa*. Clare enuntiatur in *Cat. conc. trid.*: „Non solum autem Deus universa, quae sunt, providentia sua tuetur atque administrat, verum etiam quae moventur et agunt aliquid intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut, quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen, quum ejus occultissima vis ad singula pertineat" [1].

51. *Probatur*. 1° Ex *s. Scriptura*, quae actus et effectus causarum secundarum ipsi Deo adscribit: „Considerate lilia agri, quomodo crescunt . . . Si autem foenum agri . . . Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei" [2]. — „In ipso vivimus, movemur et sumus" [3]. Quae effata, etsi de concursu mediato tantum intellegi absolute possent, in immediato plenius verificantur.

2° Ex *ss. Patribus*. S. AUGUSTINUS in textum Scripturae primo loco citatum animadvertit: „Cum dixit „vestit", non de praeterita ordinatione, sed de praesenti operatione satis indicat"; — de altero textu scribit: „Illud quod ait apostolus adjuvat hanc sententiam, qua credimus et dicimus, Deum in

---

[1] P. I, c. 2, n° 22. — [2] *Mt.* 6, 28—30; cfr. *Ps.* 17, 14; *Job.* 10, 8—11; *Isa.* 10, 15; *II Mach.* 7, 22—23. — [3] *Act.*, 17, 28.

iis quae creavit, indesinenter operari" [1]. — S. GREGORIUS M.: „Omnia quae creata sunt, per se nec subsistere valent, nec moveri, sed . . . in tantum moventur, in quantum occulto instinctu disponuntur" [2].

3° *Ratione*. Quidquid rationem entis habet, a Deo originem mutuetur oportet; atqui omnis actus qua talis rationem entis habet, distinctam tum a substantia, tum a virtute agentis; ergo.

Scholion 1. *Motio divina ipsi agenti creato intrinseca est.* **52.** Concursus divinus non ita accipiendus est, ac si non in ipsum agentem creatum qua talem, sed in solum effectum reciperetur, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri; revera divina motio ipsi agenti creato *intrinseca* est, ita ut Deus operetur in quolibet operante, atque una cum operante creato effectum producat. Hinc etiam patet, „quod non sic idem effectus causae naturali et divinae virtuti attribuitur, quasi partim a Deo et partim a naturali agente fiat, sed totus ab utroque secundum alium modum [a Deo scil. ut a causa prima, ab agente naturali ut a causa secunda]; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus" [3].

Neque operationem alterutrius agentis *superfluam* duxeris; motio Dei superflua non est, quia „res naturalis non producit proprium effectum nisi in virtute divina"; actio causae creatae superflua non est, quia Deus, quamvis per se solum posset omnem effectum producere, „ex immensitate bonitatis . . . suam similitudinem rebus creatis communicare voluit, non solum quantum ad hoc quod essent, sed etiam quantum ad hoc, quod aliorum causae essent" [4].

Scholion 2. *Motio divina non tollit libertatem.* — **53.** Concursus divinus etiam ad *actus liberos* creaturae rationalis

---

[1] *Ep. 205 ad Consent.* 3, 17; *de Gen. ad lit.* IV, 12, 23. — [2] *Moral.* 16, 37. — [3] S. THOM. *S. c. G.* 3, 70. — [4] L. c.

requiritur, nam „quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo" [1]. Exinde tamen non tollitur *libertas* creaturae, nam Deus singulas res movet modo ipsarum naturae conveniente; quare „sicut naturalibus causis, „movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales; „ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones „earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit: opera„tur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem" [2].

54. **Scholion 3.** *Motione sua Deus non est causa peccati.* — In peccato distinguendus est *actus physicus*, qui qua talis est ens et bonum, et *privatio rectitudinis moralis* huic actui inhaerens, quae est defectus et non-ens. Sicut autem quidquid entis rationem habet in causam primam reduci debet, ita defectus, qua tales, a solis causis secundis oriri possunt. Res illustrari potest exemplo claudicationis, quae „est a virtute motiva, quantum ad id, quod habet de motu, quantum vero ad id, quod habet de defectu, est a curvitate cruris" [3]. Et ita Deus per suum concursum est causa *actus physici*, qui peccaminosus est (materiale peccati), non vero ipsius peccati, seu privationis actui inhaerentis (formale peccati), quae oritur a causa secunda deficiente, Deo permittente tantum. — Hucusque doctrina communis.

55. **Scholion 4.** *Concursus divinus, utrum simultaneus an praevius?* — Restat acris controversia circa accuratiorem determinationem modi, quo Deus ad creaturarum actus praesertim liberos concurrit, utrum scil. admittendus sit concursus simultaneus (tantum), an (etiam) praevius.

Molinistae dicunt, Deum immediate cooperari ad productionem cujuslibet actus liberi, praesupposita illius electione per solam voluntatem creatam (quam electionem Deus

---

[1] *S. Th.* I, II, 109, 1. — [2] L. c. I, 83, 1, ad 3; cfr. I, II, 10, 4, ad 1. — [3] S. Thom. *S. c. G.* 3, 70; cfr. *S. Th.* I, 49, 2 ad 2.

praevidet per scientiam mediam). In idem recidit si dicas, Deum creaturae rationali offerre concursum *indifferentem*, sub quo scil. pro libitu agere aut non agere, agere hoc vel illud potest. Concursus divinus, qui in hac sententia actum liberum creaturae adjuvando comitatur tantum, merito vocatur *simultaneus* (intellege: simultaneus tantum).

Thomistae contendunt, actum liberum, non solum qua est actio, sed etiam qua est electio, fieri sub concursu immediato Dei. Concursus igitur juxta thomistas a. facultatem creatam movet, seu applicat ad agendum; b. eum inter agendum adjuvando comitatur. Quum autem influxus movens facultatem a potentia ad actum, ipsum actum necessario aliqua ratione praecedat, concursus divinis in hac sententia recte vocatur *praevius* (intellege: etiam praevius aut simultaneo-praevius) seu *praemotio physica*. Attamen probe considerandum est, influxum divinum motionem voluntatis naturâ tantum praecedere, quatenus scil. voluntas seipsam movet, seipsam determinat in virtute divini influxus. Et nihil aliud sequitur praeter hoc: quidquid perfectionis seu realitatis in actu libero invenitur, per prius motioni divinae deberi. **56.**

Quaestio relate ad concursum naturalem, de quo hic unice agitur, philisophica potius est quam theologica [1]. Utraque sententia difficultates suas habet. Summam rei quod attinet, sententia praemotionem defendens videtur verior, et est conformior doctrinae s. Thomae, qui universam materiam de concursu divino ita contrahit: „Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiae, sed sicut tenens

[1] Cfr. pro sententia Molinistarum v. g. HONTHEIM, *Theodic.* p. 770 seq.; pro sententia Thomistarum v. g. ZIGLIARA, *Summa Philos.*, Theol. natur. (30). Mediam quandam viam indicat L. JANSSENS, *Prael. de Deo Uno*, II, p. 80.

rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operatur, non excluso operatione voluntatis et naturae" [1].

57. PROP. 3. **Deus omnes res creatas gubernat seu ad finem dirigit** [2].

Agitur de *gubernatione*, quae saepe, latiori tamen sensu, providentia vocatur, et quae providentiam stricte dictam supponit.

Providentia stricte dicta est actus divini intellectus, statuens ordinem, quo res creatae ad finem praefixum dirigendae sunt. Deus siquidem non solum mundo finem praestituit, sed insuper concepit modum seu ordinem, quo creaturae ad hunc finem conducantur. Et haec conceptio seu „ratio ordinis rerum in finem", ab aeterno in mente divina exsistens [3], proprie providentia (πρόνοια) audit.

Gubernatio est exsecutio ordinis per providentiam praestituti; consistit igitur in eo, quod Deus in tempore res creatas per fines proximos et intermedios ad finem ultimum perducit [4]. — Probando gubernationem, eo ipso probamus exsistentiam providentiae stricte sumptae, si enim „in rebus creatis invenitur bonum etiam quantum ad ordinem earum in finem, necesse est, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina praeexsistat" [5].

Doctrina prop. est *fidei dogma* ex CONC. VATIC.: „Universa vero quae condidit, Deus providentia sua . . . gubernat, attingens a fine usque in finem fortiter, et disponens omnia suaviter" [6].

58. *Probatur*. 1° Ex *s. Scriptura*. „Attingit [divina sapientia] a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suavitur". —

---

[1] *De Pot.*, 3, 7, c. — [2] Cfr. *S. Th.* **1, 22** et **103**. — [3] *S. Th.* I, **22**, 1, c. — [4] Gubernatio conservationi et concursui nihil addit nisi directionem in finem; Deus enim res creatas ad finem perducit eas conservando et movendo *secundum ordinem praeconceptum*. Hinc. s. Thomas primum agit *de gubernatione rerum in communi* (I, **103**), deinde de effectibus gubernationis in speciali, scil. *de conservatione* (**104**), et *de mutatione creaturarum a Deo* (**105**). Cfr. I, **103**, 4. c. — [5] *S. Th.* I, **22**, 1, c. — [6] Const. *De fide cath.* cp. 1.

„Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti". — „Tua autem, Pater, providentia gubernat" [1]. — Praeterea docemur, providentiam se ad omnia, etiam minutissima extendere: „Pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus" [2]. — Providentiae subduntur tum ea, quae fortuita dicere solemus: „Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur"; tum actus liberi hominum: „Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus" [3].

2° Ex *Traditione*. MINUT. FELIX: „Quid potest esse tam apertum, tam confessum, tam perspicuum, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur" [4]. — S. AUGUSTINUS: „Divina providentia non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano quasi publice consulit" [5]. *S. Liturgia:* „Deus, qui coelestia simul et terrena moderaris" . . . „Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur", [6] cet.

3° *Ratione*. „Quicumque facit allquid propter finem, utitur illo ad finem. Ostensum est autem, quod omnia quae habent esse quocumque modo sunt effectus Dei, et quod Deus omnia facit propter finem, qui est ipse. Ipse igitur utitur omnibus dirigendo ea in finem; hoc autem est gubernare. Est igitur Deus per suam providentiam omnium gubernator" [7].

Scholion 1. *Providentia, utrum sit immediate a Deo, an mediate?* — Providentia stricte dicta, seu ratio ordinis, est immediate a solo Deo, quippe „qui in suo intellectu habet rationem omnium, etiam minimorum"; exsecutio vero ordinis seu gubernatio partim est immediate a Deo, partim mediate, quia Deus „inferiora gubernat per superiora, non propter **59.**

---

[1] *Sap.* **8**, 1; **11**, 21; **14**, 3. — [2] *Sap.* **6**, 8 (graece: „ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων"); cfr. *Mt.* **6**, 25; **10**, 29 (volatilia coeli) et **6**, 28—30 (lilia agri). — [3] *Prov.* **16**, 33, 9. — [4] *Octav.* 17; verba desumpta sunt ex CICERONE, *de Natura Deorum*, l. 2. — [5] *De Ver. Relig.* c. 25, n° 46. — [6] *Miss. Rom.* Dom. 2. p. Epiph. et Dom. 7 p. Pentec. — [7] S. THOM. *S. c. G.* **3**, 64.

defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet" [1].

60. **Scholion 2.** *Providentia generalis, specialis, specialissima.* Divina gubernatio, quamvis ad omnia et singula pertingat, *quantum ad modum et effectus diversa* est pro diverso modo, quo creaturae se habent ad finem. Quia igitur solae creaturae rationales ad finem mundi ultimum perfecte pertingere possunt, et propriae beatitudinis capaces exsistunt, divina gubernatio respectu ipsarum directe intendit singula individua ad perfectum adducere, quum respectu irrationabilium conservationem specierum immediate ac primario spectet. Item quia solae creaturae rationales ita ordinantur in finem, ut etiam seipsas in illum ordinare queant, divina gubernatio respectu creaturarum rationabilium etiam mediis moralibus utitur, legibus scil. ac praemiis poenisque propositis. Hinc patet, quo sensu distinguatur providentia *generalis* seu universalis, quae omnium creaturarum est, et *specialis*, qua solae creaturae rationales gaudent. Hanc, non illam, excludit apostolus dicendo: „Numquid de bobus cura est Deo?" [2] uti patet ex verbis Domini: „Si autem foenum agri . . . Deus sic vestit: quanto magis vos, modicae fidei" [3]. — Datur praeterea providentia *specialissima* (quae tamen ad ordinem supernaturalem pertinet), qua praedestinati ita gubernantur a Deo, ut non permittantur a fine secundario, aeterna scil. beatitudine deficere [4].

61. **Scholion 3.** *De casuali et fortuito, necnon de fato.* — **a.** Casuale aut fortuitum vocatur, quod accidit praeter intentionem causae. Multa fortuito eveniunt respectu causarum particularium, quae tamen a causa magis universali providentur seu intenduntur, quemadmodum v.g. occursus duorum servorum, qui, uno ignorante de altero, diriguntur in eamdem domum, fortuitus est respectu servorum, sed non respectu

---

[1] *S. Th.* I, **22**, 3, c.; cfr. **103**, 6. — [2] *I Cor.* **9**, 9; cfr. *de Verit.* **5**, 6, ad 1. — [3] *Mt.* **6**, 30. — [4] Cfr. *S. Th.* I, **22**, 2, ad 4.

domini, qui hoc praeordinavit. Quum autem Deus sit causa universalissima, cujus providentia omnes causas secundas ordinavit, nihil est fortuitum aut casuale relate ad divinam providentiam [1].

b. Jam si quis hanc providentiam, seu „ordinationem secundarum causarum ad effectus divinitus provisos" *fatum* (= praefatum, praestitutum) dicere voluerit, habeat sibi; aut potius, monente Augustino, „sententiam teneat, linguam corrigat"; quodsi per fatum intellegatur aliqua praedeterminatio cui ipse Deus subditus esset, aut quae actibus humanis necessitatem imponeret, (quemadmodum de „dispositione siderum, in quo quisque conceptus est vel natus", quidam ethnici somniabant,) fatum admittere impium est [2].

Scholion 4. *Immutabilis ordo providentiae non excludit utilitatem orationis impetratoriae.* — Rem explicat S. THOMAS: „Considerandum est, quod ex divina providentia non solum disponitur, qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis et quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causae actus humani. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum, et idem etiam est in naturalibus causis. Et simile est etiam in oratione; non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum" [3]. — „Simile est ergo dicere, non esse orandum, ut aliquid consequamur a Deo, quia ordo suae providentiae est immutabilis, ac si diceretur, quod non esset ambulandum ut perveniamus ad locum, nec comedendum ut nutriamur" [4]. Quodsi dixeris providentiam liberalissimi Dei saltem superfluam reddere orationem impetratoriam, „dicendum: quod Deus nobis multa praestat ex sua liberalitate, etiam **62.**

[1] *S. Th.* I, **22**, 2, ad 1 et **116**, 1, c. — [2] Cfr. *S. Th.* I, **116**; S. AUGUST. *De Civ.* **5**, 1—8. — [3] *S. Th.* II, II, **83**, 2, c; cfr. *Theol. Quartals.* (Tübingen), 1905, p. 580: *Gebetserhörung und naturordnung.* — [4] *S. c. G.:* **3**, 96.

non petita; sed quod aliqua vult praestare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem, ut scil. fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem" [1].

63. **Scholion 5.** *Viae providentiae saepe ignotae.* — Exsistentiam divinae gubernationis tum revelatione tum ratione novimus, sed leges seu vias ejus maxima parte ignoramus. „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei; quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus!" [2] Nec mirum, non aliter eas cognoscere possumus nisi aut revelatione pandantur, aut ipsa ordinis exsecutione patescant. Jam revelatio hac de re pauca admodum manifestat, exsecutio vero ordinationis provisae pro exigua tantum parte a nobis percipitur. Quantum enim ad praesentia latent nos multa; quantum ad praeterita, quae statum presentem pepererunt, latent plura; quantum ad futura, ad quae praesentia disponunt, latent fere omnia. Et ita facile intellegitur, quod multa, quamvis ordinatissima sint, nobis inordinata, superflua, nociva videri possint. Merito igitur S. AUGUSTINUS: „Si in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causam ignorat, et si multum est insipiens superflua putat. Jam vero si in fornacem ceciderit aut ferramento aliquo acuto, dum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia sibi existimat esse multa. Quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam constanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quod ignorant, sed cum ea viderint, credunt esse necessaria et propter usus aliquot instituta; in hoc autem mundo, cujus conditor et administrator praedicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident; et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire, quod nesciunt" [3].

---

[1] *S. Th.* l. c. ad 3. — [2] *Rom.* 11, 33. — [3] *De Gen. c. Manich.* I, 16, 25.

Scholion 6. *Mala physica nihil probant contra divinam providentiam.* — Providentia sequitur creationem, ideo non debet auferre ordinem rerum in creatione institutum, nec prohibere quominus res creatae suos actus agant; secus enim creatio frustra rebus ita disposuisset. 64.

Jam Deus creator mundum componere voluit **a.** ex rebus, quae sunt in diverso gradu bonitatis: corruptibilibus et incorruptibilibus; **b.** ex rebus sibi invicem contrariis, quarum una est corruptiva alterius; **c.** ex rebus invicem subordinatis, quarum videlicet una destinatur in sustentationem et conservationem alterius. Hac autem ordinatione posita et servata, necessario sequitur in rebus multiplex corruptio ac tendentia in corruptionem, a. v. sequitur malum physicum. Deus itaque, ut sapiens provisor universalis, bonum totius bono partium anteponens, non excludit defectus et mala in particularibus, ut servet bonum totius, ordinem scil. universi [1].

Dices: Deum potuisse alium ordinem rerum, eumque meliorem, instituere! Potuit utique, sed Deus ad melius non tenetur. Ordo autem actualis certo bonus est, nam temperatio mundi ex rebus inaequalibus, invicem contrariis et multipliciter subordinatis multum confert ad perfectionem et decus universi. 65.

Praeterea minime certum est ordinem mundi, a quo omne malum physicum excluderetur, ordine actuali fore meliorem, nam **a.** quaedam bona summi momenti e. g. actus patientiae, misericordiae et generatim omnes virtutes heroicae, sine his malis non essent; **b.** alia bona minus aestimarentur v. g. sanitas; **c.** homo multis mediis ad finem suum utilissimis careret, nam mala quae in hoc mundo nos premunt, ad Deum nos ire conpellunt.

Haec quidem generatim ostendunt, quare divina gubernatio non excludat mala physica, sed ea permittat aut potius per accidens intendat; quod si quaeratur, quare Deus hoc vel illud malum in specie non impediat (quod utique sine prae-

[1] Cfr. *S. c. G.* **3, 71.**

judicio ordinis physici facere posset,) ignorantiam nostram fateri plerumque debemus (Cfr. n° 63).

66. *Corollaria.* — 1. Locuti sumus de malis physicis, in quantum sequuntur conditionem naturae: *mala naturae.* Evidens enim est, mala physica quatenus infliguntur delinquentibus in poenam, *mala poenae*, divinam gubernationem non obscurare, sed quam maxime illustrare. Revera, si Deus mundum ita gubernat, ut velit servari ordinem moralem, sequitur quod per accidens intendat malum poenae; quod autem ad puniendum peccatorem utatur malis physicis ordinatissimum est, quum ordo physicus, utpote inferior, conservationi ordinis moralis inservire debeat.

67. 2. Mala physica, quae *hominem* premunt, *de facto* rationem poenae (aut saltem poenalitatis) habent; sine peccato enim praesertim originali de facto non essent, quum per dona praeternaturalia excluderentur. Verum quidem est, mala quae nunc hominem affligunt sequi conditionem naturae, sed inde inferre non licet, hominem, si in puris naturalibus conditus, legem naturalem servasset, *tot* malis, quot nunc, obnoxium fore.

3. Ad consolandos homines infortunio, doloribusque pressos parum valent rationes philosophicae; suggerendum illis est, quam pretiosae sint passiones patienter toleratae in ordine ad finem nostrum supernaturalem. Deus etenim, qui hominem lapsum per passionem et crucem Filii sui redimere statuit, sapienti dispensatione filios redemptionis malis physicis reliquit obnoxios, ut per passiones hujus temporis conformes fiant crucifixo Salvatori, et gaudia aeterna, quae omne desiderium superant, mereantur.

68. **Scholion 7.** *Malum morale nihil probat contra divinam providentiam.* — Ex tractatu *de Deo* hic supponimus, Deum nec per se, nec per accidens, velle peccatum [1] i. e. ipsam privationem rectitudinis moralis actui libero inhaerentem, sed illud permittere tantum. Jam permissio peccati nihil probat contra divinam providentiam, si dantur rationes illud per-

[1] Cfr. *De Deo Uno et trino*, n° 105.

mittendi, et si insuper peccata permissa in bonum atque in finem mundi ordinantur. Atqui utraque haec conditio verificatur.

1° *Dantur rationes, propter quas Deus peccata permittit.*

a. Deus etenim ut omne peccatum excluderet, debuisset aut a producendis creaturis liberis abstinere, aut omnem abusum libertatis per providentiam suam praecavere, aut denique ortum illorum, qui libertate sua abusuri sunt, impedire. Sed nullum horum conveniens esset. Non *primum*, quia demptis creaturis liberis omne bonum morale excluderetur; non *alterum*, quia sic aliquis gradus bonitatis universo subtraheretur, „tolleretur enim natura illa, quae potest peccare et non peccare, quae quidem bona est" [1]. Conveniens autem non esset per providentiam auferre quod per creationem institutum est. Non *tertium*, quia sic perturbaretur ordo naturae, secundum quem Deus cum omnibus parentibus ad generandum concurrit.

b. Deus, si omne peccatum exclusisset, non potuisset ostendere divitias potentiae ac bonitatis suae in ordinando mala pessima ad bonum.

2° *Peccata permissa ad bonum ordinantur*, ordinatione scil. extrinseca, qua Deus ita circa peccata facta operatur, ut fiant dispositiones ad bonum. Qua de re s. AUGUSTINUS: „Neque Deus ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret et de malo" [2].

Revera demptis peccatis non esset locus v. g. virtuti poenitentiae aut martyrio [3]; non manifestarentur quaedam attributa Dei v. g. longanimitas in tolerandis peccatoribus, misericordia in remittendo, justitia in puniendo peccata; demum non fuisset opus redemptionis, supereminens illa manifestatio divinae misericordiae simul et justitiae. Quapropter omnibus consideratis dicendum est, ad finem mundi plus conferre permissionem peccati simul cum bonis inde elicitis, quam exclusionem peccati una cum absentia bonorum, ad quae Deus

---

[1] S. THOM. *In II Sent*, d. 23, q. 1, a. 2. — [2] *Enchir.* c. 3, n° 11. — [3] *S. Th.* I, **22**, 2, ad 2.

peccata ordinat. Quodsi verum non esset, nec ecclesia caneret: „O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem!" nec s. Paulus exclamasset: „Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia" [1].

69. *Corollarium.* Per praedicta explicatur quidem, qua ratione malum morale sub divina providentia exsistere queat, non vero quomodo peccata ita *abundare* possint inter homines. Hujus autem abundantiae s. Thomas [2] duplicem causam assignat: prior est, quod humana natura, quippe quae infimum gradum inter creaturas intellectuales occupat, admodum debilis est ad bonum; altera (quae videtur principalior) est conditio declivior, in quam homo per peccatum originale redactus est — de qua suo loco dicetur. —

70. **Scholion 8.** *Inaequalis bonorum distributio, peccatorum prosperitates, justorum calamitates nihil probant contra divinam providentiam.* —

Praenotanda. a. Bona temporalia et felicitas in hoc mundo non constituunt finem hominis, ne secundarium quidem, et tempus mortalis vitae stadium laboris atque probationis est, non remunerationis. Hinc bona et mala temporalia rationem praemii aut poenae non nisi imperfecte, et per accidens habere possunt, per se enim et proprie tum bona tum mala sunt media ad finem.

b. Felicitas hujus vitae nec unice nec praecipue a bonis exterioribus, divitiis atque honoribus, pendet; revera plus ad eam conferunt „pietas cum sufficientia" quam bona fortunae [3]. Hinc aliud est quaerere, num generatim boni sint malis feliciores; aliud, num boni soleant esse malis ditiores ac honoratiores. Ad priorem quaestionem affirmative respondendum est, ad alteram non ita.

c. Attamen, etsi de solis bonis exterioribus agatur, cavendum est ab exaggerationibus, quasi paupertas ac aerumnae

---

[1] *Rom.* 5, 20. — [2] S. Thom. *In I Sent.* d. 39, q. 2, a. 2, ad 4. — [3] Cfr *1 Tim.* 6, 6; *Ps.* 36, 16; *Prov.* 30, 8.

solis fere justis reservarentur, malis vero vix non semper bona affluerent; teste enim experientia, de regula generali, bona et mala utrisque indiscriminatim obvenire solent, juxta illud: „Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos" [1]. Nihilominus verissimum est, pios subinde calamitatibus obrui, peccatores impudentes bonis abundare, et quum inaequalis ista, et secundum apparentiam inepta, bonorum distributio homines justos, ac praesertim afflictos, vehementer angere soleat [2], ostendendum est hanc inaequalitatem divinae providentiae non adversari. Igitur:

1° Distributio bonorum ac malorum ut plurimum resultat ex *causis ordinis naturalis*, tum necessariis tum liberis, quaram impeditio ordinem naturalem plurimum turbaret. Alii divitias sibi comparant, quia ingenio atque indole praestantes totis viribus negotiis incubuerunt; alii pauperes sunt, quia parentes substantiam suam luxuriando perdiderunt; alii amentes aut hebetes nascuntur, quia a parentibus ebriosis procreati sunt, cet. Praeterea, quot miracula requirerentur, ne poena temporalis malis inflicta etiam innocentes attingeret; cogita e. g. maritum ac patrem impium, uxorem et filios innocuos! **71.**

Neque his, quae de causis naturalibus diximus contradicit Christus: Quaerite primum regnum Dei justitiam ejus, et haec omnia [scil. necessaria vitae], adjicientur vobis" [3]; nam iis qui regnum Dei primo loco quaerunt, Dei providentia ordinarie necessaria vitae quasi naturaliter suppeditat; qui enim vere pii sunt negotiis atque officiis suis diligenter incumbunt, ab excessibus rem domesticam saepe inutiliter consumentibus abstinent, paucisque contenti esse didicerunt [4].

2. Nec ipsi *ordini morali* proficuum esset, si pietas semper bonis terrestribus remuneraretur, malitia calamitatibus plecteretur. Facile enim „non nisi propter talia praemia illi [Deo] serviendum esse arbitraremur, nec pios nos faceret

---

[1] *Mt.* 5, 45. — [2] Cfr. *Job* 21, 7; *Ps.* 72, 2; *Jerem.* 12, 1. — [3] *Mt.* 6, 33; cfr. 31—32. — [4] Cfr. *I Tim.* 6, 8.

talis servitus, sed potius cupidos et avaros" [1]. Deinde optima virilium virtutum palaestra, tribulatio scil et fortuna adversa [2] excluderetur, et plurimi, terrenis gaudiis capti atque emolliti, „manentem civitatem" se hic habere putarent.

3° Demum ipsae justorum plagae et iniquorum prosperitates divinae *misericordiae ac justitiae effectus* esso possunt; misericordiae quidem, quatenus v. g. pii, per calamitates hujus saeculi plene purgati, poenas purgatorii longe acerbiores evadunt; justitiae vero, quatenus v. g. mali, vitam aeternam non consecuturi, mercedem temporalem pro operibus suis qualitercumque bonis recipiunt, vel etiam subtracta virga paternae correptionis, sub cujus ictibus forsan resipiscerent, secundum desideria cordis sui ire in adinventionibus suis permittuntur [3].

CAPUT III

DE ORDINE SUPERNATURALI IN ABSTRACTO

72. Deus, qui creatione condidit et continua providentia conservat ordinem naturalem, altiorem adhuc ordinem instituit, n. p. supernaturalem, quatenus creaturas intellectuales ultra naturalem exigentiam pretiosissimis donis sublimavit. Quum igitur in angelis et hominibus duo erunt consideranda, tum id quod eorem natura habet, tum id quod supra naturam acceperunt, opportunum videtur quamdam theoriam ordinis supernaturalis praemittere.

Etsi ea, quae dicentur, maxima parte etiam de angelis valeant, specialius tamen et directius respicimus genus humanum, seu potius supernaturale prout verificatur in homine.

Agemus 1° de notione et divisione boni supernaturalis; 2° de ipso ordine supernaturali, denique 3° de eo, quod bono supernaturali gratiae opponitur, n. p. de peccato.

---

[1] S. AUGUST. *De civ.* 1, 8. — [2] *Rom.* **5**, 3—5. — [3] Cfr. *Ps.* **80**, 13; *Heb.* **12**, 8. — Legi meretur HEINRICH, *Dogm. Theol.* V, § 275.

Art. I

De notione et divisione boni supernaturalis

Quum supernaturale dicatur per oppositionem ad naturalia, a notione naturae et boni naturalis incipiendum est.

I. **Natura** (a *nascor:* Φύσις a Φύω) etymologice significat 73.
nativitatem, hinc ea, quae cum nativitate seu origine rei cohaerent; ex usu vero communi tum particulariter tum universaliter adhibetur.

Natura in particulari seu haec vel illa natura significat **a.** *essentiam* creaturae substantialis, praesertim si consideratur ut principium actionis, **b.** *complexum proprietatum*, quae ab illa essentia profluunt.

Natura universaliter accepta dicit *totam collectionem substantiarum creatarum, cum omnibus accidentibus quae illarum essentias consequuntur*, seu melius forte et accuratius: totum complexum rerum (exsistentium et possibilium), quae sunt *mere* creaturae: factura et similitudo Dei, et nihil ultra. Propria autem ratio merae creaturae in eo est, quod a Deo habeat esse et agere, *ab esse agereque divino plene et undequaque distinctum*, nihil praeterea [1].

Hinc facile explicatur quid sit **naturale.** 74.

Etenim *universim* naturale est illud omne, quod (sive realiter exsistat, sive possibile tantum sit) habet rationem merae creaturae; a. v. quidquid exclusive pertinet ad ordinem illorum entium, respectu quorum Deus non aliam relationem habet quam causae efficientis et exemplaris.

In specie vero naturale vocari debet: **a.** quidquid essentiam alicujus creaturae constituit aut ab illa profluit, ut v. g. in homine corpus organicum, intellectus, voluntas, cet.; **b.** quidquid hujusmodi creaturae qua tali debetur, ne ipsa cum suis viribus frustra sit, ut v. g. finis proportionatus et concursus

[1] Cfr. A. Mercier, *Le Surnaturel*, in *Rev. Thomiste*, 1902, p. 125 et 1907—1908, p. 456 et 701.

Dei generalis; **c.** quidquid hujusmodi creatura propriis viribus attingere vel perficere potest, ut v. g. pro homine cognitio veritatum rationalium, generatio filiorum, cet.

Facile vides, omnia bona, quae in sensu expositio vocantur naturalia, creaturae qua tali aliqua ratione *deberi*, non eo sensu ac si inter Deum et facturam suam intercederet obligatio justitiae stricte dictae, sed quia Deus posita creatione sapientiae et bonitati suae debet, ut creaturis tribuat ea omnia, sine quibus divina ordinatio in iis impleri nequit [1]. Hinc usitatum est, ut bona naturalia dicantur etiam bona *debita*.

Haec de significatione stricta vocis *naturalis* per oppositionem ad supernaturalia; nam in *sensu improprio* naturale aliquando dicitur aut dicebatur: **a.** quidquid nativitatem comitatur, reique ab ipsa origine inest, etsi forte ejus naturam superet [2]; **b.** quidquid non est contra naturam rei, sed eam adornat ac perficit, etsi forte modo prorsus indebito [3]. Sed ab his significationibus, quae confusioni favent, abstinendum est.

75. II. **Supernaturale** generatim est quod excedit naturam seu, paulo distinctius, quod *superat essentiam*, *exigentiam*, *potentiam naturae*, quatenus scil. neque **a.** rei creatae essentiam constituit aut ex ea profluit, neque **b.** rei creatae debetur, ut frustra non sit, neque **c.** propriis rerum viribus attingi aut perfici potest. — Vides rationem supernaturalis primo et potissimum convenire ipsi Deo secundum se spectato, qui est supernaturale increatum; at hoc supposito et praestituto, unice quaerimus de supernaturali, quod invenitur in creaturis: supernaturale creatum. Bona supernaturalia creaturae impertita vocari solent *indebita* seu *gratuita*.

76. *Divisio*. — Pro diversitate illius, in quo ratio supernaturalitatis sita est, distinguitur supernaturale quoad modum et supernaturale quoad substantiam.

---

[1] Cfr. S. Thom. *S. Th.* I, II, **III**, 1, ad 2. — [2] Hoc sensu *gratia sanctificans* primi hominis aliquando a Patribus vocatur naturalis. — [3] Ita v.g. *immunitas a concupiscentia* in protoparentibus nonnunquam naturalis dicta fuit.

1. *Supernaturale quoad modum* (tantum) habetur, si res in seipsa, in sua entitate, ordinem naturae non excedit, sed efficitur aut confertur modo facultatem naturae superante. Exempla sunt vita in homine resuscitato, visus in caeco miraculose sanato, scientia infusa veritatum rationalium.

2. *Supernaturale quoad substantiam* habetur, si ipsa res producta aut collata in sua entitate naturam excedit; v. g. immortalitas corporis humani, gratia sanctificans, cognitio mysteriorum, cet. Facile vides, supernaturale quoad substantiam etiam quoad modum naturam superare.

Supernaturale quoad substantiam iterum duplex est.

a. *Supernaturale secundum quid* (seu relative), quod saepe *praeternaturale* vocatur, est bonum quod debitum et facultatem hujus saltem naturae excedit, sed tamen facit ad finem et operationem ipsi connaturalem. Exempla sunt immunitas a concupiscentia et immortalitas primi hominis; hae enim perfectiones ab una parte exigentiam et potentiam humanae naturae superant, sed ab alia parte homini non conferunt actionem superioris ordinis; efficiunt etenim ut homo bonum morale naturae suae proportionatum facilius et plenius consequi possit, necnon ut vitam naturalem semper continuare queat. Hinc saepe dicitur, praeternaturalia naturam exornare atque perficere ultra debitum quidem, sed tamen intra suum ordinem.

b. *Supernaturale simpliciter* (seu absolute) est bonum, quod exigentiam et facultatem omnis naturae creatae et creabilis excedit, et confert ad finem seu operationem nulli creaturae proportionatam. Supernaturalia hujus generis, quae reapse exsistunt, omnia referuntur ad filiationem Dei naturalem (unionem hypostaticam), et filiationem Dei adoptivam (quae gloriam et gratiam comprehendit).

Nota positiva boni supernaturalis. — Hucusque bonum 77.
supernaturale definivimus negative, scil. per oppositionem et excessum ad naturam, restat ut aliqualiter saltem ejus rationem positivam indicemus [1]. Diximus, naturale esse quidquid non

[1] Cfr. *Revue Thomiste*, l. c.

aliam relationem ad Deum habet quam effectus et similitudinis; hinc supernaturale erit in quo alia adhuc, eaque propinquior atque intimior, cum Deo relatio intercedit. Quum autem propria ratio creaturae qua talis in eo sit, ut habeat esse et agere ab esse divino plene distinctum, sequitur supernaturale importare quamdam indistinctionem seu identificationem, saltem moralem, creaturae cum Deo. In supernaturali siquidem Deus se intime unit ac veluti permiscet creaturae: *vel* ita, ut per seipsum operetur effectus entitative proportionatos naturae creatae; *vel* ita, ut creaturam aliqua ratione participare faciat de vita et operatione divina. Si primum, Deus gratiosa benignitate sese veluti ad ordinem creaturae demittit: Deus quantum ad aliquid fit quasi creatura; et hoc accidit in supernaturali quoad modum atque in praeternaturali. Si alterum, Deus creaturam elevat ad ordinem suum: creatura quantum ad aliquid deificatur; et hoc accidit in supernaturali simpliciter. — Supernaturalia autem sunt tum ipsa haec mysteriosa unio Dei ad creaturam, ejusque actus et fructus, tum entitates creatae, quae huic unioni inserviunt (v. g. habitus supernaturales, sacramenta, cet.).

78. III. **Potentia obedientialis.** — Ipsa notio supernaturalis indicat, non dari in creaturis ullam naturalem potentiam, neque activam, neque passivam, ad bonum supernaturale. Evidens siquidem est, creaturam non gaudere aliqua virtute agendi, qua posset sub concursu sibi debito efficere aliquid naturam excedens; et iterum evidens est, non inveniri in creatura capacitatem recipiendi bonum supernaturale per actum cujuslibet causae secundae. Habent nihilominus res creatae possibilitatem exsequendi pro arbitrio et per auxilium indebitum Dei munia, nativas illarum vires superantia, et haec possibilitas obediendi causae primae vocari solet *potentia obedientialis*; quae, quatenus est possibilitas recipiendi duntaxat in se bonum supernaturale, a theologis dicitur *passiva*; quatenus vero est possibilitas coagendi, sub elevatione motuque indebito Dei, ad actum vel effectum supernaturalem, *activa* audit.

Scholion. *Excluduntur falsae notiones supernaturalis.* — 79.
Post praedicta facile intellegitur, errare eos, qui:

a. Supernaturale confundunt cum *metaphysico*, seu cum eo, quod *superat sensum*; nam ab una parte multa cognitionem sensibilem excedunt, quae tamen sunt naturalia, ut v. g. veritates de Deo, quas ratio suis viribus attingere potest; ab alia parte nonnula quae sensibus percipiuntur ad ordinem supernaturalem pertinent, ut v. g. sacramenta.

b. Supernaturale confundunt cum eo, quod *a solo Deo immediate producitur*; nonnulla enim, quae solus Deus efficere potest, naturalia sunt, quum per ordinem naturae semel institutum exigantur, ut v. g. concursus naturalis, creatio animarum rationalium.

c. Supernaturale confundunt cum *miraculoso*; etsi enim omne miraculosum sit supernaturale, plura supernaturalia miracula non sunt, vel quia sub sensibus non cadunt, vel quia fiunt secundum leges constantes (ordinis supernaturalis), ut v. g. transsubstantiatio [1].

d. Docent, nullum bonum esse supernaturale, nisi conferatur subjecto *positive* indigno, ratione alicujus peccati praecedentis (ita M. Bajus); nihil enim obstat, quominus bonum aliquod sit ex omni parte indebitum, quin in subjecto inveniatur positiva indignitas ad illud recipiendum. Idem Bajus erravit in eo, quod omnia quae „originem comitantur" naturalia in sensu vero ac proprio dixerit.

Art. II

De ipso ordine supernaturali

Ordo generatim est apta dispositio mediorum ad finem. Hinc 80.
ordo supernaturalis comprehendit finem supernaturalem una cum legibus et mediis supernaturalibus. Creatura autem, cui finis supernaturalis praefigitur, et media illi fini proportionata

[1] Cfr. tract. *De ver. Relig.* n⁰ 36.

subministrantur, dicitur ad ordinem seu statum supernaturalum elevari.

In praesenti investigandum est: 1° num elevatio creaturae ad ordinem supernaturalem sit possibilis; 2° num visio Dei intuitiva et media huic fini proportionata revera constituant ordinem supernaturalem; deinde 3° breviter declarandum erit, quaenam de facto sunt media ad hunc finem requisita.

81. I. — PROP. **Ordo supernaturalis est possibilis.**

Nostris praesertim temporibus multi elevationem hominis, aut cujuslibet creaturae, ad bona supernaturalia a priori rejiciunt, impossibilitatem praetendentes. Contra hos igitur possibilitas elevationis ex principiis rationis demonstranda est, saltem negative, ostendendo scil. impossibilitatem objectam nulla ratione probari. Observa vocem: „saltem *negative*", nam ab una parte haec probatio sufficit, et ab alia parte concedendum putamus, possibilitatem boni simpliciter et absolute supernaturalis, de quo potissimum quaeritur, non posse ex ratione positive probari.

82. *Probatio.* — Elevatio creaturae ad bonum et ordinem supernaturalem impossibilis dici nequit, nisi ostendatur, aut notionem boni supernaturalis contradictionem involvere, aut ejus collationem repugnare sive ex parte Dei, sive ex parte creaturae. Atqui

1° *Conceptus doni supernaturalis*, facultatem et exigentiam totius creaturae excedentis, *notis contradictoriis non constat;* undenam enim implicaret talis participatio bonorum divinorum, quae nulli creaturae debetur? Hoc autem posito:

2° *Collatio talis doni non repugnat*, neque **a.** *ex parte Dei*, cujus potentia ad omnia intrinsece possibilia extenditur; cujus sapientia res ita disponere valet, ut supernaturalia cum naturalibus harmonice uniantur; cujus bonitas in tanta sublimatione creaturae maxime elucet. Neque **b.** *ex parte creaturae* elevandae. Supernaturalia non sunt contra naturam: naturam neque destruunt, neque substantialiter immutant, neque ei

violentiam inferunt, sed illam ultra suum ordinem perficiunt. Hoc autem supposito, potentia quae vocatur obedientialis necessario fluit ex pleno dominio, quod Deus habet in creaturam suam; implicaret enim dari creaturam, qua Deus uti non posset ad omnia, illius naturae non repugnantia.

Ceterum CONC. VATIC., ex facto revelatione cognito ad possibilitatem concludens, definivit: „S. q. d., hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, a. s." [1].

II. — PROP. **Visio Dei intuitiva et media, huic fini proportionata, constituunt ordinem simpliciter supernaturalem.** 83.

Suis locis ostendemus, tum angelos tum homines de facto destinatos esse ad Deum intuitive videndum, eosque instructos esse mediis, quibus altissimum hunc finem consequi possint; hic unice quaeritur, num hujusmodi finis ac media sint reapse bona simpliciter supernaturalia. Quum autem media, ad aliquem finem positive conducentia, debeant esse ejusdem ordinis cum eo, sufficit, probare supernaturalitatem ipsius finis.

Visio Dei intuitiva est cognitio immediata divinae essentiae. Intellegitur cognitio per intellectum, quae ratione immedietatis et claritatis vocatur visio. Cognitio immediata opponitur mediatae atquae analogicae, qua Deum cognoscimus ex creaturis. In cognitione mediata non ipse Deus directe mente percipitur, sed res creatae, in quibus perfectiones divinae aliqua ratione relucent; non percipitur Deus qualis in se est, sed qualis per quasdam sui similutidines exhibeter; habetur itaque medium, *in quo* Deus cognoscitur: speculum creaturarum, quod cum imperfectissimum sit, cognitio mediata admodum obscura est. In cognitione vero immediata seu intuitiva excluditur omne speculum, omne medium in quo, quum ipsa divina essentia, Deus unus et trinus, sese directe, nude et aperte intellectui exhibeat: „nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente" [2]. Hinc visio intuitiva necessario est cognitio clara;

---

[1] Const. *de Fid. cath.* can. II, 3. — [2] Cfr. Const. BENED. XII, DENZ, n⁰ 456.

non tamen est cognitio comprehensiva seu adequata, repugnat enim ullum intellectum finitum infinitam cognoscibilitatem Dei exhaurire.

In cognitione intuitiva Dei et amore correspondente consistit ineffabilis fruitio Dei, quae cives coelestes beatos reddit, hinc nomen visionis *beatificae*.

Ostendendum igitur est, visionem hanc prae omni intellectu creato esse naturaliter impossibilem. Res, quantum ad creaturas actu exsistentes, est *de fide* ex CONC. VIENNENSI [1], necnon ex damnatione prop. Mich. Baji [2].

84. *Probatur*. — 1° Ex *S. Scriptura*, quae docet: a. Deum inhabitare lucem inaccessibilem: „Qui solus . . . lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest" [3]; et praeterea diserte affirmat: b. visionem Dei, cognitionem Dei ut trini (quae a visione abesse nequit), solis divinis personis naturaliter competere: „Deum nemo vidit umquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit" [4]; „Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare" [5]. Textus intelligendi sunt de impossibilitate *naturali* tantum, nam aliis in locis promittitur visio Dei, ut in coelesti patria obtinenda [6].

85. 2° Ex *ratione* [7]. Omnis intellectus creatus, ut naturaliter cognoscat, indiget specie intelligibili, rem cognitam repraesentante [8]; — atqui nulla species, ab intellectu creato expressa, Deum repraesentare valet sicut in se ipso est; — ergo nullus intellectus naturaliter cognoscere potest Deum qualis in se est.

Probatur *minor*. Species ab intellectu creato expressa,

---

[1] DENZ. n° 403. — [2] DENZ. n° 882—886. — [3] I *Tim.* 6, 16. — [4] *Jo.* 1, 18. Graece in multis Ms. „μονογενὴς θεὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός". — [5] *Mt.* 11, 27; cfr. *Jo.* 6, 46. — [6] I *Cor.* 13, 12; I *Jo.* 3, 2. — [7] Cfr. S. THOM. *S. Th.* I, 12, 4; BILLOT, *De Deo*, thes. 13. — [8] Cfr. BEYSENS, *Idealogia*, p. 27—29.

quantumvis perfecta supponatur, necessario est creata ac limitata, utpote sequens mensuram perfectionis facultatis recipientis: cognitum enim est in cognoscente, secundum modum cognoscentis. Igitur hujusmodi imago, quum esset finita, repraesentaret Deum per modum alicujus habentis esse, et non ut ipsum esse subsistens; quum esset ad certum gradum perfectionis contracta, numquam repraesentaret absolutam perfectionem Dei, qui est extra omnem ordinem. Ergo numquam repraesentaret Deum, sicut in se est.

Adverte argumentum allatum, quum desumatur ex naturali modo cognoscendi intellectus creati, qui est per speciem repraesentantem, ostendere quidem naturalem impossibilitatem visionis intuitivae prae quolibet intellectu creato, non vero absolutam hujus rei impossibilitatem, etiam per concursum indebitum. Si enim Deus respectu alicujus intellectus creati per semetipsum suppleret vices speciei repraesentantis, argumentum jam non procederet. Deum autem eminentiori modo vicem gerere speciei intellegibilis, etsi sit longe ultra captum nostrum, non potest probari evidenter impossibile.

Objectio. S. Thomas docet, inesse homini naturale desiderium, quod frustraneum remanere nequit, videndi Deum [1]. Atqui si hoc verum est, visio Dei dicenda est homini debita, ac proinde naturalis. **86.**

Resp. Aliud est quaerere de ipsa re, aliud de mente s. Thomae in locis objectis.

1. Experientia testatur, non dari in homine desiderium *innatum* seu naturale visionis Dei, non dari scil. in nobis veram propensionem naturae, qua inelutabiliter inclinaremur ad visionem Dei intuitivam, sicut v. g. ferimur in bonum in communi. Desiderium igitur videndi Deum, quatenus reapse adest in homine, est appetitus *elicitus*, sequens aut cognitionem certam revelationis, aut vagam conjecturam rationis, possibilitatem hujusmodi visionis suspicantis. Atqui illa tantum

[1] *S. Th.* I, 12, 1, c.; *S. c. G.* III, 50—51; cfr. *S. Th.* I, II, 3, 8.

bona, ad quae natura fertur appetitu innato, ei debentur, cetera vero, de quibus habet aut habere potest desiderium elicitum, ei non debentur, nisi quatenus Deus gratuito promiserit et sub conditionibus ab eo libere positis. Quum igitur desiderium videndi Deum non sit ex iis, quae frustra remanere nequeunt, non sequitur visionem Dei intuitivam esse naturalem.

2° S. Thomam quod attinet, imprimis manifestum est, eum constanter docuisse, visionem Dei omnem naturam creatam excedere. Numquid igitur putavit, dari in homine naturale desiderium ad finem supernaturalem? Id certe a priori satis improbabile! Reapse autem s. Doctor rem aliis in locis saepius explicite negavit [1]. Nisi igitur admittere volueris, Aquinatem sibi aperte contradicere, textus objecti alia ratione intellegendi sunt. Sed de his consule Commentatores [2].

87. III. — Opportunum videtur hoc loco breviter describere praecipua **media supernaturalia**, quibus creatura ad finem praedictum adjuvatur; etsi enim alibi, praesertim in tractatu *de Gratia*, magis ex professo de iis agatur, aliqua eorum notitia ad intellectum nonnullorum, quae dicentur, aut valde utilis est, aut etiam necessaria.

Creatura duplici ratione se habere potest ad finem suum supernaturalem: aut ita, ut eo jam adepto fruatur: *status termini*; aut ita, ut ad illum adhuc tendat, pro eoque adipiscendo operari possit: *status viae*.

In termino creatura, ut Deum intuitive videat, indiget *lumine*

[1] *S. Th.* I, II, **114**, 2, c,: „Vita aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae, quia etiam excedit cognitionem et desiderium ejus". — *De Ver.* **22**, 7, c,: Homo „meretur non ex hoc, quod appetit beatitudinem [in communi], quam naturaliter appetit, sed ex hoc, quod appetit hoc speciale [bonum], quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei". — *In III Sent.* d. 23, q. 1, a 4. qu. 3: „Per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad illum finem [visionem Dei]". — *De Malo*, **5**, 3 c,: „Pertinet ad naturalem cognitionem, quod anima sciat, se propter beatitudinem creatam, et quod beatitudo consistit in adeptione perfecti boni; sed quod illud bonum perfectum, ad quod homo factus est, sit illa gloria quam sancti possident, est supra cognitionem naturalem". — [2] Cfr. BAINVEL, *Nature et Surnaturel*, p. 139.

gloriae, quod est habitus supernaturalis, quo intellectus creatus supra suum ordinem elevatur, et potens redditur ad videndum Deum, sicuti est.

Ut creatura Deo, fine suo supernaturali, in termino frui possit, absolute necessarium est, ut antea, dum scil. in via est, ad eum debito modo inclinetur seu convertatur. Conversio haec, quum naturam superet, efficienter a solo Deo esse potest; acquiritur autem per infusionem gratiae sanctificantis cum virtutibus, quae eam sequuntur. **88.**

Gratia sanctificans est habitus supernaturalis, quo creatura formaliter sanctus seu justus redditur in ordine supernaturali, ita ut sit filius adoptivus Dei et haeres regni coelestis. — Vocatur habitus entitativus, „quia non immediate ordinatur ad actum, sed ad quoddam esse spirituale [supernaturale], quod in anima facit"; per eam n. p. „natura elevatur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis sit ei competens" [1]. Gratiam sanctificantem comitantur, ab eaque veluti profluunt *virtutes infusae*, habitus scil. operatorii, quibus proxime disponimur „ad exsequendum opera, quibus praedictus finis acquiritur" [2]. Una cum potentiis naturalibus, quibus inhaerent, constituunt permanentia principia quo proxima actuum supernaturalium. Virtutes infusae ad gratiam sanctificantem fere comparantur, sicut potentiae animae ad ejus essentiam. — Praeter virtutes etiam *dona* Spiritus Sancti gratiam sanctificantem comitantur, de quibus tamen necesse non est hoc loco sermonem instituere. — Quum per solam gratiam sanctificantem (cum virtutibus et donis annexis) habeatur conversio simpliciter perfecta creaturae ad Deum, ut finem supernaturalem, sola gratia sanctificans sufficienter disponit ad beatitudinem supernaturalem. Hinc ii omnes, iique soli in termino visionem Dei consequuntur, qui gratia sanctificante ornati statum viae reliquerunt.

Deus, cujus providentia in omnibus suaviter procedit, crea- **89.**

[1] S. Thom. *de Ver.* 27, 2, ad 7 et c. — [2] L. c.

turae, usu rationis pollenti, gratiam sanctificantem non infundit, nisi haec se ad illam recipiendam aliquo modo praeparaverit. Ut autem actus creaturae possint esse dispositiones positivae ad gratiam sanctificantem, sub adjutorio *gratiae actualis* eliciantur necesse est. Ad praeparationem supra dictam imprimis pertinet actus *fidei* in Deum remuneratorem supernaturalem, qua creatura seipsam in finem suum supernaturalem ordinare incipit; hinc in hypothesi elevationis creaturae ad finem supernaturalem, aliqua *revelatio* est absolute necessaria. Quam primum autem creatura Deum ex motu gratiae perfecte quaesierit, eum propter infinitam suam perfectionem super omnia diligendo, infusio gratiae sanctificantis ex infallibili lege sequitur; non quod hujusmodi actus justificationem vere mereatur, sed quia Deus, volens omnes sanctificari, gratiam sanctificantem non denegat subjecto, in ultima despositione ad eam constituto.

90. Accepta justificatione, creatura *bonis operibus*, ex gratia factis, tum incrementum gratiae sanctificantis, tum aeternam gloriam ejusque augmentum vere *mereri* potest. Opus bonum est actus liber, in Deum, verum finem ultimum, ordinatus. Ordinatur autem in Deum ex eo, quod sit conformis legi aeternae, seu voluntati divinae, per dictamen conscientiae nobis intimatae. Solam legem „aeternam" nominamus, quia omnis lex, etiam humana, in lege aeterna fundatur.

Art. III

De peccato [1]

In hoc *art.* tradenda sunt quaedam fundamentalia de natura peccati personalis, cujus cognitio in doctrina de lapsu angelorum et hominis, ac praesertim de peccato originali praesupponitur.

[1] Cfr. S. Thom. *S. Th.* I, II, 71–89; L. Billot, *Disquisitio de natura et ratione peccati personalis;* Pesch, *Prael. Dogm.* IX, n⁰ 429 seq.; Gerigk, *Wesen u. Voraussetzungen der Todsünde,* 1903.

Peccatum est actus liber, carens conformitate debita cum lege aeterna, per conscientiam applicata. Quum autem defectus conformitatis debitae diversimode haberi possit, quum praeterea nomen peccati, etsi primario ipsum actum designet, etiam adhibeatur de illo, quod post actum peccaminosum ex eo in anima remanet, statim distinguendum est peccatum mortale et veniale, peccatum actuale et habituale. **91.**

I. **Notio peccati mortalis actualis.** Peccatum mortale est *actus perfecte liber, quo creatura se ita convertit ad bonum creatum lege aeterna prohibitum, ut se avertat a Deo, fine ultimo.* — Tria igitur requiruntur: **a.** *perfecta libertas*, i. e. plena deliberatio et plenus consensus, quae si deficiunt, numquam potest haberi peccatum mortale. **b.** *Conversio ad bonum creatum vetitum.* Voluntas peccando fertur in aliquod bonum, carens debita commensuratione ad legem divinam. Sane nisi peccans in re vetita apprehenderet rationem boni, eam non appeteret; nisi in ea apprehenderet carentiam rectitudinis debitae, non peccaret eam appetendo. Inferes, peccatori directe voluntarium esse bonum, cui inest defectus debitae rectitudinis, ipsam vero privationem rectitudinis moralis esse ei indirecte voluntariam. **c.** Conversio ad bonum creatum, *involvens aversionem a Deo, ut vero fine ultimo;* nam ad rationem peccati mortalis non sufficit omnis inordinatus appetitus boni creati, sed is tantum, qui tollit habitualem conversionem creaturae ad Deum. Haec autem non aufertur nisi per motum contrarium, talem scil. quo creatura bonum commutabile ita appetit, ut saltem actu exercito in eo finem suum ultimum reponat. Igitur propria ac formalis ratio peccati mortalis sita est in aversione a Deo, ut vero fine ultimo. Necesse non est, ut quis aversionem a Deo directe intendat, a. v. ut quis agat ex odio vel formali contemptu Dei, uti docuit Schell [1], sed sufficit contemptus Dei *virtualis*, sufficit **92.**

[1] *Kath. Dogmatik*, III, p. 742: „Die formale Todsünde ist die Sünde mit aufgehobener Hand".

ut libere intendatur ea fruitio boni creati, quae aversionem a Deo includere noscitur [1].

Simul observa, diversas species bonorum commutabilium, quibus voluntas ita contra ordinem sui finis adhaerere potest, fundamentum praebere distinctioni specificae peccatorum.

Haec omnia aequaliter vera sunt, sive creatura in puris naturalibus exsistat, sive ad ordinem supernaturalem elevata sit; at quum supernaturalis conversio creaturae ad Deum consistat in gratia sanctificante, sequitur aversionem a Deo in statu naturae elevatae necessario importare privationem gratiae santificantis.

93. II. **Notio peccati venialis actualis.** Peccatum veniale est *actus liber, quo creatura ita appetit bonum creatum lege aeterna prohibitum, ut non avertatur a Deo fine ultimo.* — Itaque propria ratio peccati venialis in eo est, quod sit actus moraliter malus, non importans aversionem a Deo. Quod autem libera transgressio legis non auferat habitudinem conversionis ad Deum, ex duplici capite contingere potest, vel ex *imperfectione actus*, quia scil. perfecta deliberatio deest aut consensus plenus, vel ratione *objecti vetiti*, cujus appetitus stare potest cum habituali conversione in Deum. Primum per se clarum est, alterum non ita.

Ut igitur intellegatur, quare non omnis transgressio perfecte libera tollat conversionem creaturae in Deum, distinguere oportet inter substantiam ordinis moralis ejusque complementum seu perfectionem. Ut voluntas creata perfecte se habeat ad Deum duo requiruntur: primo ut tendat in ipsum tamquam in summum bonum seu finem ultimum, nullumque bonum creatum illi praeferat, et hoc est *substantia ordinis*; qua supposita requiritur secundo, ut ex bonis creatis nihil appetat, quod in hunc finem non referatur, nihil volendo extra ordinem ad finem, et hoc est *complementum ordinis*.

Sunt igitur nonnulla, quae opponuntur ipsi substantiae ordinis, quia, posthabitionem Dei prae creatura involvendo,

---

[1] Cfr. *Mt.* 25, 41 seq.; *Luc.* 9, 26; *I Cor.* 6, 9—11; *Gal.* 5, 18—21; *Conc. trid.* s. VI, cp. 15. Lege *Pesch*, *Theol. Zeitfrage*, II, p. 47.

necessario auferunt tendentiam voluntatis in verum finem ultimum: et haec *primaria intentione* vetantur a lege divina. Et sunt nonnula, quae opponuntur complemento ordinis tantum, quia, etsi non infringant habitualem relationem creaturae in Deum, tamen in illum referri nequeunt: et haec lex divina *secundario* tantum prohibet. Porro quae primo loco nominavimus constituunt peccata ex parte objecti gravia, cetera vero sunt venialia ratione objecti.

Quaeres, quaenam generatim opponantur substantiae ordinis moralis? Et brevissime respondeo: quae aut directe destruunt essentialem habitudinem hominis ad Deum, aut indirecte graviter laedendo ejus praesoppositum, n. p. ordinatum amorem hominis ad seipsum atque ad proximum suum et societatem humanam [1].

Vides peccatum veniale, quum non adversetur substantiae ordinis, neque principali legis divinae intentioni, non esse contra ordinem legemque divinam simpliciter, sed potius secundum quid; et in hoc sensu s. Thomas dicit, peccatum veniale proprie non esse contra ordinem legemque, sed *praeter* eas [2]. At si lex sumitur, non pro eo quod principaliter intendit, sed pro omni, quod quolibet modo continet, sic verissime dicitur omne peccatum esse contra legem.

Peccatorem viatori comparando dicit S. THOMAS: „Qui peccat mortaliter est sicut recedens a via [in aliam partem declinando] . . . , peccans venialiter similatur ei, qui nimis moratur in via" [3].

Probe observa: ut admissio perfecte libera alicujus rei, quam lex secundario tantum prohibet, in concreto sit peccatum veniale, omnino requiritur, ut creatura neque in ea ultimum suum finem reponat, neque eam ad alium finem ultimum determinatum praeter Deum referat. Illud contingit, si peccator rem leviter illicitam ita appetit, ut sibi dicat: etsi haec res me a Deo separaret, eam adhuc vellem; hoc locum habet, **94.**

[1] Cfr. BILLOT, l. c. p. 31; PESCH, l. c. n⁰ 536 seq. — [2] *S. Th.* I, II, **88**, 1, ad 1; *De Malo*, 7, 1, ad 1. — [3] *In II Sent.* d. 42, q. 1, a. 3, ad 5.

si quis v. g. mendacio officioso utitur ut ad adulterium perveniat. In utroque casu transgressio, non quidem ratione objecti secundum se, sed propter dispositionem vel finem operantis, essentialem conversionem ad Deum auferret, ac proinde peccatum mortale esset.

Peccatum veniale, quum intactam relinquat conversionem habitualem creaturae ad Deum, in ordine supernaturali non importat privationem gratiae sanctificantis. Quia igitur non aufert principium ordinis et vitae supernaturalis, natura sua ab intrinseco reparabile est, et hac de causa dicitur *veniale:* „Mortale et veniale opponuntur sicut reparabile et irreparabile, et hoc dico per principium interius, non autem per comparationem ad virtutem divinam" [1], quae etiam mortalia reparare potest.

95. III. **Malitia peccati mortalis.** Specifica Peccati mortalis militia est, quod sit aversio a Deo per conversionem ad creaturam, a. v. quod in eo bonum creatum Deo praefertur; quod etsi saepissime non fiat actu signato sive formaliter, semper fit actu exercito sive virtualiter. Qui enim voluntarie appetit illud, quo scit se abduci a Deo, saltem implicite praeeligit separari a Deo quam ab illa re, ac proinde illam Deo praefert. Quum autem Deus sit verus finis ultimus omnis creaturae, peccator bonum commutabile Deo praeferendo, interpretative illud sibi finem ultimum constituit. Dices: peccator non semper hanc rem prohibitam habet ut summum bonum suum, nam saepe ita affectus est, ut eam pro alia re delectabiliori relinquere vellet. Esto! sed semper Deo praefert seipsum et impletionem propriae voluntatis, et ita semper verum manet, quod Deum bono creato postponit. Hinc omne peccatum mortale est gravis offensa Dei, talis scil. quae sit contumelia et contemptus. Jam vero, quum contumelia sit eo gravior, quo major est ille qui contumelia afficitur, Deus autem sit infinitae dignitatis, malitia peccati mortalis dici potest quodammodo infinita. Dico: *quodammodo* seu *secundum quid*, in quantum scil.

[1] *S. Th.* l. c. 88, 1, c.

omnia alia mala etiam simul sumpta superat (unde etiam a nulla pura creatura condigne reparari potest); non tamen est infinita simpliciter, quia actus entis finiti sub nullo respectu potest esse simpliciter infinitus: ,,a bono infinito, ait S. THOMAS, aliquis avertitur actu finito, et ideo peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum'' [1]. — Vides non repugnare, malitiam omnis peccati mortalis esse quodammodo infinitam, et nihilominus unum peccatum mortale esse alio gravius.

Nunc autem considerandum est, haec omnia nullo modo posse applicari peccato veniali. In veniali enim non habetur aversio a Deo, Deus non postponitur bono commutabili, nam appetere rem, de qua scio quod Deo displiceat, sed quod nihilominus me non a Deo separet, non est simpliciter creaturam praeeligere Deo. Igitum peccatum veniale ne in infimo quidem gradu participat de specifica malitia peccati mortalis; hinc s. Thomas docet, peccatum mortale et veniale non esse duas species ejusdem generis, sed duo analoga tantum, quia perfecta ratio peccati soli mortali convenit [2]. Quod quidem apprime verum est, si nomine peccati intellegitur voluntaria aversio a Deo; at si peccatum definitur libera trangressio legis divinae vel actus liber carens conformitate debita cum lege aeterna, nomen peccati univoce dicitur de mortali et de veniali. **96.**

IV. **Peccatum mortale habituale.** Peccatum habituale generatim est reitas, quae ex opere pravo in anima remanere concipitur, donec peccatum remittatur. Non potest esse aliquid physicum, qualitas aut habitus malus ; unde nomen ,,habituale'' nihil aliud significat quam permanentiam ad instar habitus. Potest quidem ex peccato, praesertim saepe repetito, remanere in anima habitus malus, i. e. vitiosa inclinatio ad similes actus, sed hic habitus, qui etiam post remissionem peccati remanere potest, ad ipso peccato habituali probe distinguendus est. **97.**

Peccatum mortale habituale est status aversionis a Deo fine ultimo, dependens ab actu malo secundum imputabilitatem

[1] *De Malo.* 2, 9, ad 5. — [2] *S. Th.* l. c. ad 1.

permanente. Quum autem in statu naturae elevatae, debita conversio ad Deum habeatur per gratiam sanctificantem, peccatum habituale in illo statu consistit *in privatione gratiae sanctificantis, cum respectu ad actum pravum imputabiliter permanentem.*

Bene perpendantur verba: *cum respectu*, cet.; et quidem propter tria.

Primo enim hinc moneris, peccatum habituale non consistere in sola privatione gratiae praecisive sumpta, sed in hac privatione *ut causata per culpabilem conversionem ad bonum creatum*, a. v. in privatione gratiae una cum reatu conversionis ad creaturam, aut habitualiter aut saltem imputabiliter adhuc permanentis. Et in hoc sensu dici potest, quod peccatum mortale habituale consistit in positiva aversione a Deo, n. p. in privatione conversionis ad Deum per conversionem, aliqua ratione perdurantem, in finem contrarium.

Praeterea ex eodem capite explicatur, quomodo unum peccatum habituale possit esse alio gravius, et qua ratione in eodem subjecto multiplicari queant reatus. Ipsa quidem privatio gratiae secundum se eadem est in omnibus, qui mortaliter peccarunt, sed tanto gravius imputatur vel etiam tot vicibus imputatur, prout promerita est per actus turpiores et frequentiores.

Denique ex hoc fonte concludas, remissionem peccati mortalis in statu naturae elevatae consistere in duobus, n. p. in cessatione imputationis actus pravi praeteriti, et in nova infusione gratiae sanctificantis. Quae duo, etsi eodem tempore fiant, ita tamen se habent, ut condonatio offensae infusionem gratiae natura praecedat.

Peccatum habituale nunc reatus culpae vel simplicitir culpa, nunc macula dicitur. Vox *culpae* peccatum denominat per respectum ad Deum offensum; vox *macula* illud designat per respectum ad subjectum in quo est, quia scil. animam privat nitore gratiae sanctificantis.

98. *Corollarium.* In explicando peccato habituali mortali secuti sumus sententiam communiorem, quae notam ejus primariam reponit in privatione gratiae, secundariam vero in permanenti

imputabilitate actus pravi. Monemus tamen, aliquos naturam peccati nostri principaliter reponere in permanenti imputatione actus peccaminosi, et non nisi secundario in privatione gratiae. Differentia non videtur magni momenti, quum in utraque sententia duo elementa ad plenam rationem peccati habitualis mortalis concurrant.

V. **Peccatum veniale habituale** consistit in permanenti imputabilitate actus pravi. Hinc duo fluunt: 1° peccatum veniale non relinquere in anima maculam proprie dictam, i. e. permanentem defectum alicujus pulchritudinis, neque enim tollit, neque diminuit gratiam sanctificantem aut virtutes annexas [1]. — 2° Remissionem culpae venialis nihil aliud importare quam cessationem imputationis, seu condonationem offensae. Verum, etsi ad remissionem peccati venialis non requiratur gratiae infusio, praesentia gratiae in anima ad eam omnino praerequiritur. **99.**

SECTIO II

DE ANGELIS [2]

CAPUT UNICUM

Angelus (ἄγγελος) *etymologice* missum seu nuntium significat; hinc homines, qui speciali quodam modo a Deo mittuntur, in Scriptura subinde angeli vocantur [3], et ipse Christus „angelus testamenti" dicitur [4]; ex *usu communi* tamen angelorum nomine veniunt creaturae spirituales, hominibus superiores, praesertim boni; quippe qui frequenter a Deo ad diversa ministeria mittuntur. „Angelus enim nomen officii est, non naturae: Quaeris nomen hujus naturae? spiritus est; quaeris officium? angelus est" [5]. Diximus „praesertim boni"; **100.**

[1] Cfr. *S. Th.* I, II, 89, 1, c. — [2] Cfr. v. g. OSWALD, *Angelologie*², 1889; *Dict. de Theol. cath.* in voce: *Ange.* — [3] Ita v. g. sacerdotes V. T. (*Mal.* 2, 7); Joannes Baptista (*Mal.* 3. 1; *Mt.* 11, 10); episcopi (*Apoc.* 2—3) *angeli* vocantur. — [4] *Mal.* 3, 1. — [5] S. AUGUST. *Sermo 1 in Ps. 103* n° 15.

nam licet in usu vulgari fidelium soli spiritus boni angelorum nomine designari soleant, theologi, tractantes de angelis omnes creaturas spirituales, tum bonas tum malas, intellegunt; quod et nos facimus.

101. Angeli definiri possunt: *substantiae creatae mere spirituales*.

Dicuntur *substantiae*, ut excludatur error Anabaptistarum contendentium, angelos nihil aliud esse quam personificationes divinarum operationum; *creatae*, ut distinguantur a Deo, eique inferiores esse noscantur; *spirituales*, ut secernantur a substantiis materialibus, ac intellectu et voluntate praediti intellegantur; demum: *mere* spirituales, ut appareat eos non sicut anima humana ad informandum aliquod corpus ordinatos esse, sed omnis corporis expertes per se subsistere, ac personae dignitate fulgere. — Veritas definitionis ex sequentibus patebit.

Universam doctrinam de angelis tribus articulis absolvimus, agendo 1° de angelorum exsistentia, distinctione, natura; 2° de eorum elevatione ac lapsu; 3° de eorum cum hominibus commercio [1].

Art. I

De angelorum exsistentia, distinctione, natura

102. Prop. I. **Exsistunt Angeli, a Deo ex nihilo creati.**

Prop. quoad utramque suam partem *dogma fidei* est ex conc. later. IV: Deus „simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam" [2].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*: esse namque angelos et archangelos fere omnes sacri eloquii paginae testantur" [3].

Angeli dicuntur: **a.** *creati* in Verbo [4], **b.** *Deum adorare* eique

---

[1] Pro historia doctrinae de angelis consuli possunt L. Hackspill: *L'Angélologie juive à l'époque Néo-Testamentaire*, in *Revue Biblique*, 1902 et 1903; Vacant, *Dict. de Theol. cath.* in voce *Ange*, I, p. 1190. — [2] Denz. *Enchir.* n° 355; cfr. Conc. Vatic. Constit. *de Fide Cath.* cp. 1. — [3] S. Greg. M. *Hom. in Evang.* 34, 7. — [4] *Col.* 1, 16.

benedicere [1]; *Deo obedire* [2]; *inferiores esse Verbo*, Christoque ministrare [3]; *Deum videre* [4]; dicuntur c. *peccare et puniri* [5]; denique d. *hominibus superiores esse* [6]. iis *apparere* [7], eosque *custodire* [8]. — Atqui ex his omnibus evidens est, dari substantias intellectualis creatas, nobis superiores, i. e. angelos.

2° Ex *ss. Patribus* e. g. S. CLEMENS R.: „Multitudinem universam angelorum ejus [Dei] diligenter consideremus, quomodo adstantes voluntatem ejus exsequantur" [9].

Ratio, quamvis angelorum exsistentiam nec a priori nec a posteriori probare valeat, eam tamen aliquatenus suadet, ostendendo creationem angelorum esse congruentem. Cfr. prop. 3.

Scholion. *Quandonam angeli sint creati?* — Fide certum est, angelos non esse ab aeterno creatos [10]. Ex *Job*, 38, 4—7 multi concludunt, eos jam exstitisse quando Deus orbem terrarum disponebat. Ceterum plures Graeci, e. g. S. Greg. Naz., opinati sunt angelos ante mundum corporeum creatos esse, sed sententia probabilior, communis inter scholasticos et recentiores, tenet eos simul cum materia mundana creatos esse. Argumenta probabilia sunt: *Gen.* 1, I, tum propter verba „in principio", tum quia multi Patres et theologi docent, sub nomine „coelum" angelos saltem implicite memorari [11]. Monendum tamen, rem a concilio lateran. IV (l. c.) definitam non esse, nam vox „simul" ét incidenter adjecta est, ét pro „pariter" seu „aequaliter" accipi potest; quare s. Thomas, scribens post conc. lateran. expresse addit, sententiam s. Greg. Naz. erroneam dicendam non esse [12]. **103.**

PROP. 2. **Angeli sunt numero plurimi, inaequales inter se, et in novem ordines distincti.** **104.**

---

[1] *Ps.* **96**, 7; **102**, 20. — [2] *II Reg.* **24**, 16. — [3] *Hebr.* **1**, 4—14; *Mt.* **4**, 11. — [4] *Mt.* **18**, 10. — [5] *II Petri.* **2**, 4. — [6] *Ps.* **8**, 6; *Mt.* **22**, 30; **24**, 36. — [7] *Gen.* **16**, 7; *Judic.* **6**, 12; *Act.* **10**, 3. — [8] *Ps.* **90**, 11. — [9] *Ep. ad Cor.* **34**, 5. — [10] *Prov.* **8**, 22; *S. Th.* I, **61**, 2. — [11] Cfr. *Cat. Conc. Trid.* p. 1, c. 2, n° 16; *Eccli.* **18**, 1 et CONC. LATERAN. IV supra laudatum. — [12] *S. Th.* l. c. 3; Cfr. Opusc. 23 *Exp. prim. Decret.* et *Coll. Lac.* VII, p. 1625.

Prima et *altera pars* propositionis, quamvis nunquam ab ecclesia definitæ, omnino *certae* sunt, quum in fontibus revelationis clare contineantur.

1° Dari *ingentem angelorum multitudinem* patet ex *Daniel:* „Millia millium ministrabant ei [Deo], et decies millies centena millia assistebant ei" [1]. CHRISTUS „plus quam duodecim legiones angelorum" [2], S. PAULUS „multorum millium angelorum frequentiam" memorat [3]. Quinimo juxta S. THOMAM „rationabile est, quod substantiae immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales quasi incomparabiliter" [4].

105. 2° *Angelos inaequales* esse, indeoque *diversos ordines constituere* patet e. g. ex eo, quod Michael vocatur „unus de principibus primis" [5], necnon ex nomine archangeli [6]. Si enim dantur „principes primi" et „archangeli", etiam inferiores esse necesse est. Praeterea Scriptura (ut infra videbimus) angelis diversa nomina tribuit [7], quae certo diversos quosdam ordines indicant. Consonat universa Traditio, et ipsa ratio rem suadet: quum enim omnia opera Dei ordinatissima sint, indubium est, innumeros angelos constituere aliquam societatem, ex superioribus et inferioribus conglutinatam.

106. *Tertia* pars prop., dari scil. *novem ordines* seu choros angelorum, non plures nec pauciores, non est fidei dogma, nec omnino certum, sed est sententia inde a saeculo septimo *valde communis in ecclesia*, quae proinde contemni non debet.

Sane:

1° In *s. Scriptura* novem diversa angelorum nomina occurrent n. p. *Seraphim* [8]; *Cherubim* [9]; *Throni*; *Domina-*

[1] *Dan.* **7**, 10. — [2] *Mt.* **26**, 53. — [3] *Hebr.* **12**, 22. — [4] *S. Th.* I, **50**, 3, c. — [5] *Dan.* **10**, 13. — [6] *I Thess.* **4**, 15; *Jud.* 9. — [7] *Eph.* **1**, 20—21; *Col.* **1**, 16. — [8] *Isa.* **6**, 2. — [9] *Gen.* **3**, 24; *Ezech.* **10**. — Lenormant opinatus est nomen Cherubim desumptam esse a voce *kirûbu*, qua assyrii magnas illas statuas leonum ac taurorum alatorum et facie humana alatorum appellassent. At testibus rerum orientalium peritis (A. Jeremias, Zimmern, Buhl) nullatenus constat, monstra praedicta nomine kirûbu designata fuisse, et ita opinio Lenormant fundamento caret.

tiones (κυριότητες); *Virtutes* (δυνάμεις); *Potestates* (ἐξουσίαι); *Principatus* (ἀρχαί) [1]; *Archangeli* [2]; *Angeli* [3].

Illis nominibus plures angelorum ordines indicari clarum est; quis enim contendet omnia nomina in *Epp. ad Eph.* et *ad Colos.* l. c. occurrentia, esse synonyma? Quo posito, quum nulla ratio positiva insinuet, aliqua saltem ex iis nominibus synonyma esse, pronum est concludere, quod singula singulos ordines significant. Sic autem novem ordines inveniuntur.

Nihilominus argumentum peremptorium non est; nam: **a**. Quum nullibi omnia nomina simul occurrant, absolute loquendo possibile est, eumdem ordinem in diversis locis diverso nomine designari. Hinc S. AUGUSTINUS subdubitando: „Utrum iidem archangeli appellentur virtutes . . , dicant, qui possunt, . . . ego me ista ignorare confiteor" [4]. **b**. Ab altera parte Scriptura alios ordines praeter indicatos saltem non expresse excludit; quinimo S. CHRYSOST. ex *Eph.* 1, 21 concludit: esse „sine dubio et alias virtutes [ordines], quarum ne nomina quidem novimus" [5].

2° Concedendum est, apud antiquiores *Patres* numerum **107.** ratum et fixum angelicorum ordinum non inveniri, ipsosque in enumerandis illis ordinibus non convenire. Attamen omnes novem ordines simul jam memorat s. Cyrillus Hier., et quidem ex liturgia suae ecclesiae, quam explicat [6], s. Ambrosius [7] et s. Hieronymus [8]. Postquam vero saeculo ut videtur quinto

[1] *Col.* 1, 16; „In ipso [Christo] condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive *Throni*, sive *Dominationes*, sive *Principatus*, sive *Potestates*." — *Ephes.* 1, 20—21: „Suscitans illum a mortuis et constituens ad dextram suam in coelestibus, super omnem *Principatum* et *Potestatem* et *Virtutem* et *Dominationem* et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro." — [2] *I Thess.* 4, 15. — [3] *I Petri* 3, 22: „Subjectis sibi Angelis et Potestatibus et Virtutibus." — *Rom.* 8, 38: „Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes." — [4] *Enchir.* c. 11, n⁰ 58. — [5] *Hom. 4 De Incomprehens.* 2. — [6] *Cat. Myst.* 5, 6. — [7] *Apol. David*, c. 5, n⁰ 20. — [8] *Apol. c. Rufin* II, 2. — S. IRENAEUS (*Adv. Haer* II, 30, 6) omnes recenset praeter Cherubim et Seraphim. — S. ATHANASIUS in *Ep. II ad Serapion.* n⁰ 4 omnes recenset praeter Thronos; quos in *Ep. I ad Serapion.* n⁰ 13 memorat.

vulgatus Areopagita [1], et saeculo sexto, independenter a Dionysio, s. Greg. Magnus [2] ex professo novem angelorum ordines statuerant, haec sententia inter sequiores Patres et scholasticos ita invaluit, ut paucissimi ab ea recederent [3].

108. **Scholion** 1. Longe inferiorem auctoritatem habent:

a. *Distributio angelorum in tres hierarchias*, ternos choros complectentes. Haec distributio, a vulgato Dionysio invecta [4], non directe revelationi sed speculationibus theologicis tantum innititur [5].

b. *Series, qua se invicem angelorum ordines excipiunt.* Supra recensuimus seriem a Dionysio traditam, quae communior est. Consonat series s. Gregorii M., nisi quod *Virtutes* et *Principatus* locos suos permutent, ita ut Virtutes ponantur septimo loco, Principatus vero quintum sortiantur [6]. Iterum differunt tum a praecedentibus, tum ab invicem series s. Cyrilli Hier. et *Breviarii Rom.* in Festo Omn. Sanctorum. Nec mirum; ipsa Scriptura, plures simul ordines exhibendo, eos in diversis locis diversimode ordinat.

c. *Explicatio proprietatum singulorum ordinum*, ex nominibus revelatis petita. Teste s. Thoma, in exponendis his nominibus Dionysius spirituales angelorum perfectiones, s. Gregorius vero exteriora eorum ministeria potissimum

[1] *De coelest. Hier.* 6. — [2] *Hom. in Evang.* 34, 7. — Idem GREGORIUS (l. c. n⁰ 12) scribit: „*Fertur* vero Dionysius Areopagita, antiquus videlicet et venerabilis pater, dicere", quod soli inferiores Angeli in terras mittantur. Hinc concludimus, s. Greg. opera Dionysii non legisse; et quum in statuendo novem ordines ad solam Scripturam provocet, quin Dionysium memoret, a quo insuper in ordinanda novem ordinum serie aliquatenus differt, minus recte nonnuli dicunt, Gregorium hac in re a Dionysio pendere. Certo nimium est asserere, totam de novem ordinibus doctrinam uni Dionysio deberi. Ceterum etiam nostris temporibus, Fr. Kaulen in septenarium ordinum numerum propendit. Cfr. *Kirchenlex* in voce: *Erzengel.* — [3] Ipsa ecclesia doctrinam de novem ordinibus aliquo modo in sua liturgia recepit, uti praecipue patet ex *Ant. ad Magnif.* in I Vesp. Omn. Sanctorum, ubi omnes novem enumerantur. Cfr. *Praefationes* Missalis Rom., *Hymnus* „Te Deum", cet. Nihilominus usus liturgicus non ejusmodi est, ut rem conficiat. — [4] L. c. cp. 6—10. — [5] Cfr. *S. Th.* I; **108**, 1 et 6. — [6] S. GREG. M. l. c. n⁰ 8—10; — cfr. *S Th.* l. c. 6.

attendit [1]. Sunt autem hujusmodi expositiones opiniones probabiles, partim etiam piae conjecturae tantum.

Scholion 2. *Undenam inaequalitas inter angelos repetenda sit*, utrum videlicet superiores ab inferioribus differant *essentialiter*, ita ut sint alterius speciei, an vero *accidentaliter* tantum, puta gradu vel munere solo, revelatio non docet. **109.**

Ex sententia s. Thomae, quae tamen minime ab omnibus recipitur, non solum singuli angelorum ordines, sed etiam singuli cujusque ordinis angeli specie differunt, ita ut non dentur duo angeli ejusdem speciei [2]. Ulterius Aquinas docet, angelorum ordines distingui „completive secundum dona gratuita, dispositive autem secundum dona naturalia, quia angelis data sunt dona gratuita secundum capacitatem naturalium, quod non est in hominibus"[3].

PROP. 3. **Angeli sunt substantiae mere spirituales, seu spiritus puri.** **110.**

Angelos substantias spirituales esse constat ex praedictis; hic asseritur eos esse spiritus puros, nulli corpori naturaliter unitos, nec ad informandum aliquod corpus ordinatos.

Diserta magisterii ecclesiastici definitio hac de re non exstat; praeterea ex ss. Patribus nonnulli corpora quaedam, licet subtiliora angelis tribuerunt [4], alii circa eorum incorporeitatem dubii haeserunt [5]. Hinc doctrina prop. dogma fidei vocari non debet. Quum tamen conc. later. IV, distinguendo creaturam corporalem, mixtam, et spiritualem seu angelicam, rem clare enuntiaverit (quamvis non ex intentione eam definiendi), posterioresque theologi meram angelorum spiritualitatem unanimiter propugnaverint, favente et comprobante magisterio ordinario, propositio saltem ita *certa* est, ut sine ingenti temeritate in dubium revocari non posset.

[1] *S. Th.* l. c. 5. — Explicationem s. Gregorii habes in *Brev. Rom. Off. vot. de Angelis*, lect. 2i Noct. — [2] *S. Th.* I, 50, 4; *S. c. G.* 2, 93. — [3] *S. Th.* I, 108, 4, c. — [4] E. g. S. JUSTINUS M. *Apol.* II, 5; CLEMENS ALEX. *Paedag.* III, 2 in fine; S. AMBROS. *De Virg.* l. I, c. 8, n⁰ 53; S. FULGENT. *De Trinit.* 9. — [5] E. g. S. AUGUST. *De Civ.* 15, 23; S. BERNARD. *Serm. 5 in Cantic* 7. Legi meretur L. JANSSENS. *Summa Theol.* t. VI, p. 479.

111. *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura.* Haec **a.** directe ab angelis excludit „carnem et sanguinem", seu corpus, quale nos habemus: „Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, contra spiritualia nequitiae in coelestibus" [1]. Adverte textum agere de angelis malis, de quibus quidam patres potissimum dubitaverunt. **b.** Nullibi loquitur de corporibus angelorum, aut de eorum animis vel spiritibus; sed. **c.** frequenter eos simpliciter et sine addito „spiritus" vocat [2]. Porro natura ex spiritu et corpore coagmentata simpliciter spiritus vocari nequit, unde nec homines nec animae humanae umquam in Scripturis ita vocantur, sed solus Deus atque angeli hoc nomine veniunt.

2° Ex *ss. Patribus*, e. g. S. GREG. NAZ. naturam angelicam vocat „intelligentem" et „incorpoream" [3]. S. CHRYSOST. „angelum incorporeum" opponit homini „corpore circumamicto" [4]. S. GREG. NYSS.: „omnis creatura rationalis dividitur in incorpoream et corpoream naturam: incorporea autem est angelica, altera nos homines sumus" [5]. S. GREG. M.: „Angelus solummodo spiritus, homo vero et caro" [6]. Licinianus, ep. Novae Carthaginis naturam spiritualem angelorum ex professo defendit [7]. S. JOES DAMASC.: „Angelus est substantia intellegens, corporis expers" [8].

3° Ex *ratione* exsistentia spirituum purorum non quidem probari, sed suaderi potest. Ex ipso enim ordine rerum mundanarum comperimus, Deum universum componere voluisse ex creaturis, quae sunt in diversissimis gradibus bonitatis. Jam si exsistant etiam spiritus puri, scala completa est; tunc enim dantur primo creaturae materiales, deinde materiales simul et spirituales, demum mere spirituales. Ipsa autem anima humana corpori superstes nos docet, substantiam mere spiritualem non repugnare [9].

112. *Corollaria.* 1. Occasio angelis corpora tribuendi quibusdam Patribus fuit *Gen.* **6**, 2: „Videntes *filii Dei* filias

[1] *Ephes.* **6**, 12. — [2] *Mt.* **8**, 16; *Luc.* **9**, 39; **10**, 20; **11**, 24—26; *Hebr.* **1**, 14; *Apoc.* **1**, 4. — [3] *Orat.* **28**, n° 31. — [4] *Hom. 22 in Gen.* n° 2. — [5] *Orat. 4 in Orat. Domini.* — [6] *Moral.* l. IV, c. 3, n° 8. — [7] *Ep.* 2 (MIGNE, *P. L.*, t. 72, p. 689). — [8] *De fid. Orth.* l. II, 3. — [9] Cfr. *S. Th.* I, **50**, 1, *S. c. G.* **2**, 91.

hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant". Revera aliqui versionis LXX codices, pauci tamen et inferioris notae, loco „filii Dei" legunt: ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ; et Philo, Josephus, atque apocryphi quidam locum de angelis libidine peccantibus interpretati sunt. Perperam omnino; licet enim nomine filiorum Dei in Scripturis aliquoties angeli designentur [1], hic certo intelligendi sunt non angeli sed homines, vel probi vel generatim Sethitae, sibi copulantes mulieres pravas, ex Cain oriundas. Ut enim alia praetereamus, filii Dei ad filias hominum ingredientes, certo non fuerunt angeli boni, peccati non capaces, et qui „neque nubent, neque nubentur" [2]; sed neque daemones fuerunt, quippe quibus minime convenit nomen filiorum Dei. Ceterum cfr. F. DE HUMMELAUER aut G. HOBERG, in h. l.

2. Aliam errandi occasionem praebuerunt illi loci Scripturae ubi angeli forma sensibili apparuisse narrantur. Ast hae apparitiones **a.** ex se non probant, angelos habere corpora naturaliter sibi unita, nam ipse Deus aliquando sensibiliter apparuisse legitur; **b.** si quid probarent in favorem corporeitatis, ostenderent quosdam saltem angelos habere corpora humana, a. v. eos esse homines; quod nemo contendit. Denique **c.** ipse modus apparitionis saepius ostendit, non agi de corporibus naturalibus [3]. **113.**

Si quaesieris, qua ratione apparitiones angelicae explicandae sint, haec post s. Thomam opinando respondemus.

Aliquae apparitionis, v. g. quae in somno obtigisse leguntur, satis explicantur per visiones imaginarias, per species scil. in sola imaginatione videntis exsistentes, et per angelum causatas. Pro *aliis* tamen videtur dicendum, quod angeli aliquod corpus, ex materia praejacente formatum, assumpserint [4]. Illud *assumere* significat, quod corpus uniatur angelo, non ut formae, neque ut motori tantum, sed sicut motori repraesentato per corpus assumptum [5]. — Quia angelus corpus

[1] E. g. *Job.* 1, 6. — [2] *Mt.* 22, 30. — [3] Cfr. e. g. *Judic.* 13, 20; *Tob.* 12, 19 seq.; *Dan.* 9, 21; 14, 35. — [4] Aliam explicationem invenies apud PALMIERI, *Pneumatol.* thes. 3. — [5] Cfr. *S. Th.* I, 51, 2.

assumptum non informat, non potest per illud exercere actus vere et proprie vitales; attamen efficiendo motus locales, producere potest quosdam effectus, qui in homine vivo sunt termini operationis vitalis. Et hoc sensu tantum angelus per corpus assumptum v. g. loquitur aut ambulat [1].

114. 3. Angeli, quum sint spiritus puri, materia et forma non constant [2], ac per consequens natura incorruptibiles seu immortales sunt [3]. Quodsi patres aliquando dicunt, eos non natura, sed gratia immortales esse, id unum forte intendunt, eos vitam non a se, sed Dei beneficio habere. At quamvis in angelo non sit compositio physica, multiplex in eo admittenda est compositio metaphysica, scil. ex essentia et exsistentia, ex substantia et accidentibus, ex natura et personalitate. Minime igitur divinam simplicitatem attingunt. Jam aliqui Patres, qui de angelis ita loquuntur, ut videantur eis corpus tribuere, nihil aliud sibi volunt, quam ut eos excludant ab omnimoda simplicitate, quae soli Deo propria est.

115. **Scholion 1.** *Num et quomodo angeli sint in loco?* — Evidens est angelos, quum sint creaturae, non esse immensos, et, quum sint puri spiritus, loco non indigere. Modus loquendi Scripturae innuit: **a.** angelos revera esse in loco, ubi se manifestant et agunt, et **b.** eos non esse in omnibus locis actualiter exsistentibus simul; dicuntur enim venire alicubi, inde recedere, expelli, cet [4]. Consonat Traditio: Angeli, ait S. JOES DAMASC., „nec cum in coelo sunt, in terra versantur, nec cum a Deo in terram mittuntur, remanent in coelo" [5]. Quinimo S. THOMAS docet, angelos creatos esse in loco corporeo, „ad ostendendum ordinem eorum ad naturam corpo-

---

[1] *S. Th.* l. c. 3; cfr. SATOLLI, *De oper. div.* p. 594; BILLUART, *De Angel.* Diss. I, art. 4. — [2] *S. Th.* I, 50, 2. — Nihilominus scholastici aliquando dicunt, eos materia et forma constare, sensu scil. improprio et ad significandum, eos non esse actum purum. Cfr. s. THOM. *De spir. creat.* a 1, c. — [3] *S. Th.* l. c. 5. — [4] *Mc.* 13, 32; *Ephes.* 6, 12; *II Petri* 2, 4; *Mt.* 4, 11; *Luc.* 2, 15; 8, 27—33. — [5] *De fid. orthod.* II, 3.

ream", cum qua unum universum constituunt et cui praesident [1].

Quod *modum* attinet, quo angeli ad locum comparantur; non sunt in loco circumscriptive, sed *definitive*, quatenus scil. tota illorum substantia est in singulis partibus loci, et non extra illum. Ratio proxima, seu fundamentum praesentiae angeli in loco secundum s. Thomam est contactus aut *applicatio virtutis* angelicae ad rem locatam [2]; quod alii ex Thomistis ita intellegunt ut dicant, angelum alicubi praesentem reddi ex eo, quod ibi operationem virtualiter transeuntem exerceat [3]; alii ex eo, quod virtutem suam loco ita coaptet, ut proxime potens sit ad illic operandum transeunter, uti v. g. fit quando angelus aliquem habitualiter custodit [4].

Porro si dicitur, angelum non esse nisi in uno loco simul, per *unum* locum intellegitur totam spatium, ad quod immediate contingendum virtus illius angeli sufficit; quam late autem sphaera virtutis singulorum angelorum pateat, prorsus nescimus [5]. Ceterum modus praesentiae angelicae in loco revelatus non est, et theologi in diversas sententias abeunt [6].

Scholion 2. *De cognitione et locutione angelorum*. — **116.**

Multa de cognitione angelica ivenies apud s. Thomam [7]; pauca seligimus. Angelos intellectu et *cognitione hominibus praestare* innuit Scriptura [8], et sponte sequitur ex eo, quod sunt spiritus puri.

Ad *modum* quod spectat, docet Aquinas angelum seipsum

---

[1] *S. Th.* I, 61, 4. — [2] L. c. 52, 1. — [3] Ita e. g. BILLUART, *de Angelis*, Diss. II, a. 2, obj. 1. — [4] Ita v. g. SYLVIUS in h.l.; SATOLLI, *De Oper. divin.* p. 599. — Ipse S. THOMAS scribit (*Quodlib. I*, a. 4, c.): „Angelus est in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est effectus virtutis, dicatur quod angelus est in loco per operationem, ita tamen quod per operationem non intellegatur sola motio, sed quaelibet unitio, qua sua virtute se corpori unit, praesidendo vel continendo vel quocumque alto modo". Cfr. *De Pot.* 3, 19, ad 2. — [5] *S. Th.* I, 52, 2. — [6] Cfr. v. g. SUAREZ, *De Angelis*, l. IV; FR. SCHMID, *Quaest. select.* p. 28 seq. — [7] *S. Th.* I, 54—58. — [8] *II Reg.* 14, 20; *Mt.* 24, 36.

cognoscere per suam substantiam, vices speciei impressae gerentem, alia vero a se per species intellegibiles ipsi congenitas, quas scil. non ex rebus haurit, sed in ipsa creatione accepit [1].

De *objecto* haec naturaliter Deum cognoscunt cognitione abstractiva tantum, quamvis longe perfectius ac nos [2]. Deinde quamvis eorum cognitio latissime pateat, quaedam naturali ipsorum cognitioni penitis subtracta sunt, et quidem:

a. *Futura libera* [3]. Sane futura libera ab angelis cognosci nequeunt, nec in suis causis creatis, quippe quae sunt indifferentes ad opposita; nec in libero Dei decreto, quod omni creaturae impervium est; nec denique in seipsis, nam id soli convenit aeterno Deo, cui omne verum necessario patet. — Haec de cognitione certa, nam angeli multa futura libera cum majori minorive probabilitate ex causis creatis conjicere possunt [4].

b. *Secreta cordium*, i. e. actus immanentes liberos intellectus et voluntatis sive aliorum angelorum sive hominum [5]. Ratio interna haec esse videtur: quum voluntas rationalis creaturae soli Deo subjaceat, ea quae a sola voluntate pendent Deo tantum aperta sunt. — Ceterum angelos contigationes et affectus nostros ex effectibus aut immutatione corporali cognoscere posse, facile patet [6].

c. *Mysteria supernaturalia* [7]. Angeli etenim neque naturaliter divinam essentiam intuentur, neque ex suis naturalibus cognoscere possunt illud, quod ex sola gratuita Dei voluntate pendet [8].

117. Angeli, quando conceptus suae mentis alteri manifestant, *loqui* dicuntur [9]. Loquuntur autem tum ad alios angelos, sive bonos sive malos tum ad Deum „consultando divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam admirando"[10].

---

[1] L. c. **56**, 1—2. — [2] L. c. 3. — [3] *Isa.* **41**, 23; **46**, 9—10. — [4] Cfr. *S. Th.* I, **57**, 3. — [5] *III Reg.* **8**, 39; *Jer.* **17**, 10. — [6] Cfr. *S. Th.* l. c. 4. — [7] *I Cor.* **2**, 11. — [8] Cfr. *S. Th.* l. c. 5. — [9] *Jud.* 9; *I Cor.* 13, 1; cfr. *S. Th.* I, **107**. — [10] L. c. 3, c.

De *modo*, quo angeli loquunter, evidens est, illos non uti signis sensibilibus; ceterum docet s. Thomas illos solo *actu voluntatis* sensa sua alteri patefacere, scil. „per hoc, quod ille cujus est conceptus, sua voluntate ordinat ipsum ad alterum" [1]. Et ita conceptus suos uni pandere, et simul alteri occultare possunt, nec quidquam hac in re efficit distantia localis [2].

Terminis a vulgato Dionysio [3] mutuatis theologi tradere solent, quod superiores angeli inferiores *illuminant*, *purgant*, *perficiunt*. Sensus est: superior angelus inferiorem *illuminat*, proponendo et manifestando illi veritatem de rebus divinis, ita autem *purgat* intellectum inferioris a defectu, qui est nescientia, simulque ejus intellectum *perficit*, causando scil. perfectiorem scientiam [4]. **118.**

Scholion 3. *De potentia naturali angelorum.* — Angeli, quos Scriptura [5] „potentes virtute" prædicat, Deo jubente aut saltem permittente, tum in res corporeas, tum in animas hominum agere possunt. **119.**

a. In *res corporeas*. — „Egressus est autum angelus Domini et percussit in castris Assyriorum centrum octoginta quinque millia" [6]. „Angelus . . . accedens revolvit lapidem" [7].

Nihilominus res corporales angelis non ad nutum serviunt, ipsi enim naturali sua virtute in corporibus solum motum localem directe causare possunt, et mediante motu locali alios effectus, in quantum scil. naturales corporum virtutes alio atque alio modo in suos fines applicent, „sicut faber adhibet ignem ad demollitionem ferri" [8].

Modus, quo spiritus angelicus per contactum suae virtutis corpora movet, nos latet.

b. In *animas hominum*, scil. vivorum; nam de animabus **120.**

---

[1] L. c. 5, c. — [2] L. c. 4. — [3] *De coel. Hier.* c. 8, § 1. — [4] Cfr. *S. Th* I, **106**, 1 et 2 ad 1; **107**, 2. — [5] *Ps.* **102**, 20. — [6] *Isa.* **37**, 36. — [7] *Mt.* **28**, 2; cfr. **8**, 32. — [8] *S. Th.* I. **110**, 2 et 3.

separatis non loquimur. „Ecce, angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: surge et accipe puerum et matrem ejus", cet [1]. „Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me" [2]. „Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas" [3].

Patet igitur, angelos tum in intellectum, tum in voluntatem nostram aliqua ratione influere posse. Circa modum haec pauca.

Quantum ad *intellectum*. Cum intellectus noster intellegibilia pura capere nequeat, angelus signis sensibilibus uti debet, ut cogitata sua intellectui nostro adaptet. Qua ratione id fiat in apparitionibus sensibilibus, clarum est; in aliis vero casibus dicendum videtur: angelum, aut objiciendo sensui objecta externa, aut directe influendo in organis corporalibus, excitare [4] in nobis ea phantasmata, ex quibus conceptus communicandos hauriamus [5].

Quantum ad *volitionem* liberam, imprimis certum est, eam a nulla causa creata, quippe quae semper coactiva est, physice moveri posse; angelus igitur non nisi moraliter in eam influere potest, aut proponendo (eo modo quo supra diximus) intellectui motiva suadentia, aut excitando (mediante sensu vel phantasia) passiones appetitus sensitivi. At quovis modo angelus agat, voluntas semper libera manet ad assentiendum vel resistendum [6].

Art. II

De angelorum elevatione et lapsu

Postquam egimus de angelis secundum esse naturae, dicendum venit de iis secundum esse gratiae; quam doctrinam expositurí incipimus ab iis, quae in revelatione magis explicite continentur, inde ad alia, minus diserte aut virtualiter tantum revelata, gradum facientes.

---

[1] *Mt.* 2, 13. — [2] *Zach.* 1, 9. — [3] *Jo.* 13, 2; cfr. *Luc.* 22, 3. — [4] Reproducendo scil. et diversimode combinando imagines in memoria reconditas; nam phantasmata omnino nova angeli in nobis producere nequeunt. — [5] *S. Th.* I, 111, 1 et 3. — [6] *S. Th.* I, 111, 2; cfr. 106, 2.

PROP. **Ex angelis alii visionem Dei beatificam adepti sunt, alii, in peccatum prolapsi, aeternis suppliciis addicti sunt.** 121.

Prop. quantum ad triplicem suam partem *certo et clare* in fontibus revelationis prostat, insuper *secunda pars*, scil. quosdam angelos propria voluntate peccasse, *dogma fidei* est ex CONC. LAT. IV: „Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali" [1].

Probatur. — 1° Quantum *ad primam partem.* Scriptura quasdam spirituales creaturas vocat „angelos coelorum" [2], adstantes „in circuitu throni" divini [3]; de iis dicit, quod „in coelis semper vident faciem Patris" [4]; quod justi post resurrectionem iis assimilabuntur: „Erunt sicut angeli Dei in coelo" [5]; „aequales enim angelis sunt, et filii Dei, cum sint filii resurrectionis" [6]. Atqui hinc omnino docemur, dari angelos supernaturali beatitudine, i. e. visione Dei intuitiva, fruentes.

2° Quantum ad *secundam* et *tertiam partem*: „Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari" [7]. — „Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit" [8]. 122.

Igitur mali angeli damnati sunt, et saltem poenam damni jam subeunt; nec ullo modo probabilis videtur sententia paucorum qui tenuerunt, eos ante diem judicii poena sensus non affici. Poena haec secundum communem sententiam non excluditur ex eo, quod multi daemones adhuc in terris vagari permittuntur ad tentandum homines. Id unum admittendum est, poenas daemonum in die judicii accidentaliter augeri atque compleri. Sed de his alibi.

---

[1] Cfr. DENZ. n° 355. — [2] *Mt.* 24, 36. — [3] *Apoc.* 5, 11; 7, 11. — [4] *Mt.* 18, 10. — [5] *Mt.* 22, 30. — [6] *Luc.* 10, 36. — [7] *II Petri*, 2, 4. — [8] *Jud.* 6; cfr. *Mt.* 25, 41; *Jo.* 8, 44.

123. **Scholion 1.** *Ergo angeli non in statu beatitudinis, i, e. cum visione beatifica* [1], *creati sunt, sed omnes aliquando in stadio probationis seu in via fuerunt.*

Imprimis circa angelos peccantes nulla difficultas; quum enim confirmatio in bono sit de ratione beatitudinis, ipsum peccatum commissum ostendit, desertores spiritus visione beatifica caruisse, et in stadio probationis fuisse. Hoc autem posito, de reliquis angelis vix dubitari potest; quis enim supponet, alios spiritus in beatitudine fuisse creatos, alios in via, et hos omnes defecisse? Praeterea SS. Patres docent, bonos angelos beatitudinem suam meruisse, quod utique statum viae supponit [2]. Denique id summopere decebat, nam „non coronatur, nisi legitime certaverit" [3].

124. **Scholion 2.** *Ergo angeli omnes, dum viatores erant, ad statum supernaturalem elevati exsistebant.* — Boni angeli ad visionem beatificam, finem supernaturalem, merito suo pervenerunt; alii vero ad eumdem finem destinati erant, ut facile supponitur et Traditio testatur. Quum autem finis supernaturalis sine mediis supernaturalibus obtineri nequeat, sequitur, nulli angelo in stadio probationis talia media defuisse. Jam in ordinatione ad finem supernaturalem et suppeditatione hujusmodi mediorum consistit elevatio ad statum supernaturalem [4].

Hinc certum est, omnes angelos accepisse aliquam revelationem et gratias saltem actuales, bonos vero insuper gratiam sanctificantem cum virtutibus infusis ac donis. Ulterius sententia satis communis, et quae revelationi videtur conformior, tenet, omnes angelos in statu viae gratia sanctificante insignitos fuisse [5],

---

[1] Dico: cum visione beatifica, non enim negamus omnes angelos creatos fuisse in beatitudine naturali ac supernaturali inchoata, i. e. in gratia sanctificante. — [2] S. AUGUST. *De corr. et grat.* c. 11, n⁰ 32; *De Civ.* l. XXII. c. 1; S. GREG. M. *In Ezech.* l. I. hom. 7, n. 18. — [3] *II Tim.* **2**, 5. — Cfr. *S. Th.* 1, **62**, 1 et 4. — [4] Cfr. DENZ. n⁰ 881—884. — [5] Aliqui opinati sunt, Deum angelis primo obtulisse gratias actuales, quibus se ad recipiendam gratiam sanctificantem disponerent, malos vero angelos gratiae actuali

quam probabilius in ipsa sua creatione acceperunt [1].

Ex sententia s. Thomae „angeli, qui habuerunt meliora naturalia, habuerunt plus de gratia, et [nisi peccaverint] de gloria" [2].

Theologi ex naturae angelicae perfectione deducunt, statum viae angelis fuisse brevissimum [3].

Scholion 3. *Quot angeli ceciderint et quo peccato?* — **125.**

a. Multos angelos peccasse ex Scriptura et Patribus constat: „Legio mihi nomen est, quia multi sumus" [4]. Communis tamen doctrina est, longe plures in bono perseverasse [5]. Praeterea theologi tradere solent, lapsos fuisse ex omnibus ordinibus [6].

Ex pluribus Scripturae effatis [7] concluditur, inter apostatas angelos principatum quemdam exerceri ab uno, qui Satanas [8], Belsebub [9], Belial [10], draco magnus [11]. serpens antiquus [12], princeps hujus mundi [13], deus hujus saeculi [14], Lucifer [15],

resistendo peccasse, ideoque gratiam habitualem numquam recepisse; quo sensu etiam S. BONAVENTURA dicit: „Non videtur aliquo modo probabile, quod Lucifer habuerit gratiam (in *II Sent.* d. 4, a. 1, q. 2). At *Jo 8*, 44: diabolus „in veritate [= rectitudine supernaturali. *S. Chrysos.*, *S. Leo*] non stetit"; *Judas* 6 (cfr. A LAPID. in h. l.); *Is.* **14**, 12 seq.; *Ezech.* **28**, 12 seq. (qui loci a multis in sensu mystico de angelis peccantibus intelleguntur,) videntur innuere, etiam daemones aliquando gratia habituali insignitos fuisse. — [1] *S. Th.* I, **62**, 2 et 3. — [2] L. c. 6. — [3] Cfr. *S. Th.* I, **62**, 5; **63**, 6. — SYLVIUS in h. l.; BILLUART, *De Angelis*, Diss. 4, a. 6 et Diss. 5, a. 4. — [4] *Mc.* **5**, 9. — [5] *S. Th.* I, **63**, 9. — Nonnulli ex *Apoc.* **12**, 4: „Et cauda ejus [draconis] trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram" opinati sunt, tertiam fere partem angelorum cecidisse. At „stellae coeli" in sensu literali non angeli, sed homines sunt. — [6] *Eph.* **6**, 12. — [7] *Mt.* **25**, 41; *Luc.* **11**, 18; *Apoc.* **12**, 7. — [8] *Job.* **1**, 6. — Derivatur a verbo *Satan* i. e. adversari. — [9] *Luc.* **11**, 15. Belsebub vel Beelzebub est nomen proprium falsi dei, *IV Reg.* 1, 2; significare videtur: *Dominus habitaculi* [*coelestis*]. — [10] *II Cor.* **6**, 15; significat: *inutilis* = nequam. — [11] *Apoc.* **12**, 9. — [12] Ibidem ex *Gen.* **3**. — [13] *Jo.* **12**, 31. — Non quod ei legitimum aliquod dominium in mundum vel homines competat, sed quia daemon, postquam genus humanum peccando sese illius servituti addixit, magnum in res humanas influxum exercere permittitur. — [14] *II Cor.* **4**, 4. — [15] Nomen *Lucifer* in Scriptura tribuitur superbo regi Babyloniae: *Isa.* **14**, 12; qui locus a multis mystice de angelo peccante exponitur. Inde Patribus ac theologis familiare est, principem superbiae hoc nomine designare.

diabolus [1] per excellentiam vocatur; et qui exemplo et suggestione dux rebellionis fuisse censetur [2]. Aliqui Patres putarunt, eum non tantum ex supremo ordine, sed etiam omnium angelorum eminentissimum fuisse [3].

126. b. Patres et theologi communius tenent, angelos peccasse *superbia*, inordinate appetendo propriam excellentiam. Et censet quidem Aquinas: eos aut finem suum naturalem ita appetiisse, ut beatitudinem supernaturalem spernerent, aut ad finem supernaturalem pervenire voluisse viribus naturalibus, spreto auxilio gratiae [4]. Alii vero putant revelationem mysterii incarnationis, angelis factam, occasionem peccati fuisse, sive quod Verbo incarnato subesse noluerint, sive quod insuper sibi, aut duci suo unionem hypostaticam expetierint [5].

127. **Scholion 4.** *Angelis peccantibus nullus poenitentiae locus.* — Communis sententia est, apostatis angelis occasionem resipiscendi et veniam impetrandi datam non fuisse. Scriptura de venia ipsis oblata prorsus tacet, quinimo eam excludere videtur: „Deus angelis peccantibus non pepercit" [6]. Unde e. g. S. GREG. M.; „Deus apostatam spiritum ad poenitentiam nequaquam revocat, sed viam superbiae ejus nesciens damnat" [7]. Plures ss. Patres ac theologi rationem congruentiae hauriunt ex summa gravitate peccati in angelis, quippe quod cum plenissima deliberatione, ex pura malitia commissum erat. Quare S. AUGUSTINUS: „Peccatum quantum incredibilius, tanto damnabilius. Ideo angelus irreparabiliter cecidit, quoniam cui plus datur, plus exigitur ab eo" [8]. Addit s. Thomas (cui tamen hac in re plurimi non adstipulantur) ipsam angelicae naturae perfectionem efficere, ut voluntas eorum immobiliter

---

[1] A διάβαλλῶ = adversari. — Ex his nominibus aliqua, ut *satanas, diabolus,* etiam collective adhibentur ad designandam universam potestatem infernalem. — [2] *S. Th.* I, 63, 8. — [3] L. c. 7. — [4] *S. Th.* l. c. 2 et 3. — [5] Cfr. v. g. SUAREZ. *De Angelis,* l. VII c. 13; SCHEEBEN, *Kath. Dogm.* II, p. 581. — [6] *II Petri* 2, 4. — [7] *Mor.* l. II, c. 5. — [8] *Op imperf. c. Julian.* l. VI, n⁰ 22.

adhaereat parti, quam semel cum plena consideratione et omnimoda libertate elegerit [1].

Scholion 5. *Naturalia daemonum non diminuta.* — Non agimus in praesenti de statu daemonum, sicut nec de statu beatorum spirituum; id unum animadvertimus, naturales daemonis facultates, intellectum, voluntatem, potentiam per peccatum ac damnationem nec ablatas, nec physice diminutas esse, nam „propter simplicitatem suae substantiae, a natura ejus aliquid subtrahi non potest et ideo dona naturalia in eis integra manent" [2]. **128.**

Igitur intellectus eorum in tantum *obtenebratus* est, in quantum omni lumine supernaturali, sive actuali sive habituali, destituuntur [3]. Item voluntas eorum exsistit *corrupta*, in quantum est obstinata in malo, ita ut nullum actum moraliter bonum ponere queant [4]. Demum potentia eorum *ligata* est, inquantum non omnia, quae voluerint, agere permittantur, „ne corda hominum tantum tentare praevaleant, quantum volunt" [5].

Art. III

De angelorum cum hominibus commercio

Separatim agendum est de angelis sanctis et de daemonibus; sicut enim boni, Deo ministrantes, hominibus tuentur, ita mali multis modis nobis nocere nituntur.

Prop. I. **Sancti angeli 1° in auxilium hominum mittuntur, et quidem ita ut 2° singuli homines proprio custode gaudeant.** **129.**

1° *Prima pars*, scil. angelos generatim a Deo mitti ad juvandos et custodiendos homines, *de fide* est, clare enim continetur tum in Scriptura, tum in magisterio quotidiano universalis ecclesiae.

---

[1] *S. Th.* I, 64, 2. — Cfr. Sylvius, in h. l. — [2] *S. Th.*, l. c. 1. — [3] *S. Th.* l. c.; cfr. 58, 5. — [4] *S. Th.* I, 64, 2. — [5] S. Greg. M. *Hom. 34 in Evang.* n° 10.

Probatur ex *S. Scriptura*, e. g.: „Angelis suis mandavit de te [i. e. de justis, in Deum fidentibus], ut custodiant te in omnibus viis tuis" [1]. „Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capient salutis" [2].

130. 2° *Altera pars*, asserens singulis hominibus aliquem angelum in custodem habitualem deputari, *certa* est.

Probatur. — **a**. Ex *s. Scriptura*. Haec primo quidam ostendit tum judaeos, tum primos christianos in hac persuasione fuisse: „Angelus, qui eruit me [patriarcham Jacob] de cunctis malis, benedicat pueris istis" [3]. „Immittet angelus domini in circuitu timentium eum" [4]. „Angelus ejus [Petri] est" [5]. Deinde ipse Christus hanc persuasionem confirmat: „Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris" [6]. Quoquo modo voces „hi pusilli" intellegantur, sive de pueris, sive de humilibus, sive de pauperibus, nulla ratio est supponendi, iis solis angelum datum fuisse.

b. Ex *ss. Patribus*; e. g. S. BASILIUS: „Quod unicuique adsit angelus, velut paedagogus quidam et pastor vitam dirigens, nemo contradicet, qui meminerit verborum Domini; Ne contemnatis", cet [7].

S. HIERON.: „Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum"[8].

S. CHRYSOST.: „Hinc [ex *Mt.* 18, 10] manifestum est, quod omnes sancti angelos habent" [9].

THEODORETUS: „Christus, Dominus dixit [*Mt.* l. c.], singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi"[10].

S. ISID. HISP.: „Omnes angelos habere probantur loquente Domino in evangelio: Amen dico vobis, quia angeli eorum", cet[11].

c. *Ratione convenientiae*, quam ita proponit *Cat. conc.*

---

[1] *Ps.* 90, 11. — [2] *Hebr.* 1, 14; Cfr. *S. Th.* I, 113, 1. — [3] *Gen.* 48, 16. — [4] *Ps.* 33, 8. — [5] *Act.* 12, 15. — [6] *Mt.* 18, 10. — [7] *Contra Eunom.* l. III, c. 1. — [8] *In Mt.* 18, 10. — [9] *Hom. in Mt.* 59, n° 4; cfr. *De laud. S. Pauli*, hom 7. — [10] *Qu. 3 in Gen.* — [11] *Sent.* l. I, c. 10, n° 21.

trid.: „Ut parentes, si infesta et periculosa via filiis iter faciendum sit, custodes adhibent et periculorum adjutores, sic coelestis Pater in hoc itinere, quo ad coelestem patriam contendimus, singilis nobis praeposuit angelos" [1].

Concedendum est, eloquia Scripturae electis ac fidelibus potissimum favere, et etiam s. Patres saepius directe de solis fidelibus loqui. Ideo res non eodem certitudinis gradu de hominibus infidelibus ac de fidelibus constat. *Singulos fideles* suum angelum habere, videtur *fidei proximum; singulos* vero *infideles* suo custode non destitui est *sententia communis et moraliter certa.* Plura etenim Patrum effata omnino generalia sunt, et theologi omnes ita censent. 131.

Scholion 1. *Officium angeli custodis.* — Communior theologorum sententia est, eumdem angelum non nisi ad unius simul hominis custodiam deputari; eum huic homini assistere per totam vitam incipiendo a nativitate [2], quin eum umquam totaliter deserat. Nihilominus clientem suum saepius dimittit quantum ad aliquid, non impediendo scil. mala physica et moralia; idque secundum ordinem divinorum judiciorum [3]. De hac partiali dimissione intelligendus est S. BASILIUS: „quemadmodum fumus apes fugat, et faetor columbas expellit, sic angelum vitae nostrae custodem lacrimabile ac graveolens peccatum abigit" [4]. 132.

Custodia hominis non retrahit angelum a contemplanda divina essentia, ideoquo ejus beatitudinem non impedit [5], sicut nec tribulatio aut peccatum sui clientis [6].

Angeli custodes instrumenta ac ministri Dei sunt, unde quoties vires eorem naturales ad finem intentum non sufficiunt, in virtute divina agunt.

Scholion 2. *Beneficia angeli custodis* erga hominem ita recenseri possunt [7]. 133.

[1] P. IV, c. 9, n⁰ 4; cfr. *S. Th.* I, 113, 2 et 4. — [2] *S. Th.* I, 113, 5. — [3] L. c. 6. — [4] *In Ps. 33*, c. 5. — [5] *S. Th.* I, 112, 1 ad 3. — [6] L. c. 113, 7. — [7] Cfr. *Cat. dioec. Harlem.* IV, 11, 12.

1. *Angelus nobis tuetur*: **a.** quoad corpus et negotia temporalia, avertendo damna exteriora, aut nos ex iis eripiendo, in quantum scil. animae saluti proficuum fuerit. Potest siquidem angelus aut abjecta nociva sua virtute abigere, aut illas cogitationes immittere, quibus ipsi periculum evitemus. — **b.** Praecipue quoad animam, abigendo daemones, aut saltem eos impediendo ne tot malas cogitationes immittant, neve tot occasiones peccandi nobis creent, quod volunt.

2. *Angelus nos ad bonum excitat*, suggerendo scil. opportunas cogitationes, quibus ad bonum impellimur, a malo absterreamur; infligendo etiam poenas medicinales, quippe quae sicut paterna castigatio nos ad bonum erudiunt.

3. *Angelus pro nobis orat, nostrasque orationes ac bona opera Deo offert*, i. e. ea Deo gratiora reddit, suas supplicationes nostris addendo.

Quae omnia egregiis exemplis ex historia sacra, ac praecipue ex libro *Tobiae* illustrari possunt.

Quid nos angelis custodibus debeamus, breviter exponit S. BERNARDUS: „Quantam tibi debet hoc verbum [scil. „Angelis suis mandavit de te"] inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia" [1].

134. **Scholion 3.** *Angeli custodes societatum.* — Probabilis doctrina est singulis ecclesiis, regnis, aliisque corporibus moralibus insignioribus aliquem angelum tutelarum praeponi. Plures s. Patres id deducunt ex Scriptura, quae v. g. memorat angelum principem regni Persarum [2].

Imprimis pie creditur, electum populum Dei specialiter concreditum esse Michaeli archangelo, qui proinde sicut olim synagogae praefuit, ita nunc universae catholicae ecclesiae tuetur [3].

---

[1] *In Ps. 90, Serm.* 12, n⁰ 6; MIGNE, *P. L.* 183, p. 233. — [2] *Dan.* 10, 13; cfr. *Zach.* 8, 12. — [3] *Dan.* 10, 21; 12, 1; *Apoc.* 12, 7.

Scholion 4. *De praesidentia angelorum super creaturam materialem* haec statui posse videntur. — **a.** Obsoleta illa antiquorum sententia, secundum quam corpora coelestia orbes suos moventibus angelis conficerent, licet etiam rationibus theologicis fulciretur, primario opionibus scientificis nitebatur. **b.** Opinio, secundum quam singulae rerum materialium species peculiarem angelum sibi deputatum haberent, ex fontibus revelationis probari nequit, quinimo a s. Hieronymo ut fabula exploditur [1]. **c.** Etsi res physicae ad actus suos naturales administratione angelorum non indigeant, ambigendum non est, angelos interdum ex voluntate Dei uti rebus inferioribus sive ad protegendos, sive ad puniendos homines; a. v. eos cursum naturae nonnumquam in particularibus immutare, ad exsequendam providentiam Dei supernaturalem. 135.

Nota. Doctrinam de angelis custodibus a philosophis Platonicis mutuatam non esse, ostendit Petavius [2]; eam non obscurare aut insufficientiae arguere providentiam divinam, inde patet, quod Deus „inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet" [3]. Demum ineptum est, contendere angelos non magis honorandos esse quam ventos et fulgura, quae etiam ministri Dei sunt, nam magna disparitas est inter instrumenta inanimata ac ministros rationales et liberos. Atque immerito prorsus scribit Dr. H. Bavinck [4], angelologiam apud catholicos „religionem corrumpere et honori divino detrahere"; non enim in angelos secundum se, sed in angelos nuntios ac ministros Dei confidunt catholici, unde et honor ipsis impensus totus in Deum redundat.

---

[1] *In Habac.* 1. 14: „Non in nos ipsos injuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium providentiam esse dicentes. Ex quo liber ille aprocryphus [respicere videtur *Pastorem* HERMAE, Vis. IV, 2, 4] stultitiae condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam angelum nomine Tyri praeesse reptilibus: et in hanc similitudinem piscibus quoque et arboribus et bestiis universis proprios in custodiam angelos assignatos". — [2] *De Angel.* l. II, c. 7. — [3] *S. Th.* I, 22, 3 c. — [4] *Geref. Dogmatiek*, II p. 429.

136. PROP. 2. **Mali angeli homini insidiantur 1° tentatione, 2° infestatione externa, 3° possessione, 4° operatione magica.**

Propositio universam maligni spiritus impugnationem comprehendendo, in prima parte agit de *modo ordinario*, quo daemones nobis nocere nituntur, in aliis vero tribus partibus de eorum *insidiis extraordinariis*.

I. *Tentatio diabolica*. „Tentare proprie est experimentum sumere de aliquo" [1]; quod in varios fines fieri potest [2]; hic vero agimus de tentatione in malum finem instituta, scil. de instigatione, qua quis ad peccandum solicitatur. Daemones ad peccatum nos excitare possunt, tum *intrincecus:* mediante phantasia proponendo intellectui rationes, peccatum suadentes, et excitando passiones appetitus sensitivi (n° **120**); tum *extrinsecus:* adhibendo objecta externa, aut malorum hominum auxilium [3].

Probatur exsistentia tentationis diabolicae ex *s. Scriptura:* „Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli; quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus" [4]. — „Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret, cui resistite fortes in fide" [5].

137. *Corollarium* I. Certum est, non omnes tentationes ex machinatione diaboli primum oriri [6], neque assentiendum videtur iis theologis, qui putant, diabolum sese omni tentationi saltem aliquo modo immiscere, nam juxta S. THOMAM: „Non omnia peccata committuntur diabolo instigante, sed quaedam ex libertate arbitrii et carnis corruptione. Quia, ut Origenes dicit, etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum et ve-

[1] *S. Th.* I, 114, 2. — [2] Quo sensu Deus hominis virtutum tentet, seu potius probet, vide *Cat. Conc. Trid.* p. IV, c. 15, n. 9. — [3] Cfr. *Cat. Conc. Trid.* l. c. n° 10. — [4] *Ephes.* 6, 11—12. — [5] *I Petr.* 5, 8—9; Cfr. *Luc.* 7, 12; 22, 31; *Act.* 5, 3. — [6] *Jac.* 1, 14.

nereorum et hujusmodi: circa quae multa inordinatio contingit"[1].

2° Plures theologi censent, cuilibet homini aliquem malum angelum in exercitium a principe daemoniorum habitualiter adjungi; quae opinio jam invenitur in *Pastore* Hermae [2], deinde apud s. Greg. Nyss. et Cassianum [3]. Alii vero negant, ut v.g. Bellarminus, qui hanc doctrinam errorem vocat [4].

II. *Infestatio externa* est influxus noxius, quem daemones quandoque ab extrinseco in corpus hominis aut in bona ipsius exercent, Deo aut jubente aut permittente. 138.

Probatur ex *s. Scriptura*; ubi v.g. narratur, Deum Aegyptios punivisse „per angelos malos" [5].

III. *Possessio diabolica* intelligitur actio daemonis, corpus alicujus hominis occupantis, ejusque membris diversimode abutentis. Varios gradus admittit, quorum supremus hic est, quod diabolus, violenter agendo in organismum corporalem, usum rationis ac per consequens liberi arbitrii impediat. 139.

Daemon in ipsum intellectum aut voluntatem hominis directe influere nequit; corpori vero non aliter unitur quam ut motor mobili; hinc nullum umquam actum vitalem per corpus occupatum exercere potest, et omnis actus, quem in humano corpore aut mediantibus illius membris ad extra operatur, *contra aut citra voluntatem hominis*, habendus est non actus hominis sed solius diaboli, agentis scil. intra hominem quidem exsistentis, sed ab ipso homine prorsus distincti. Hinc obsessi [6] in s. Scriptura vocantur ἐνεργούμενοι,

[1] *S. Th.* I, 114, 3 c.; cfr. SUAREZ, *de Angel.* l. VIII, cp. 19. — [2] *Mand.* 6, 2. — [3] Cfr. KIRSCH, *Die Lehre v. d. Gemeins. der Heiligen i. Christl. Alterthum*, (1900) p. 209. — [4] *De Scriptor. eccles.* (Lovan. 1678) p. 38. — [5] *Ps.* 77, 49: *Job.* 2, 7; cfr. *Tob.* 3, 8. — [6] Theologi antiquiores generatim actionem violentem daemonis in corpus humanum *obsessionem* vocant; recentiores vero distinguunt *circumsessionem* (obsessionem minus strictam), quando homo secundum corpus ab extra verhementius vexatur: *obsessionem*, quando diabolus in hominem intrat, quin tamen usum rationis et libertatis impediat; *possessionem seu insessionem*, quando omnis fere hominis actio libera impeditur. HURTER, *Theol. Dogm. Comp.* II[8], n° 428; PESCH, *Prael. Dogm.* III, n° 411; cfr. LEISTLE, *Die Besessenheit*, u. s. w. 1887.

i.e. inoperati, seu acti a principio distincto intus dilitescente.

140. *Probatur*. Prosessionem diabolicam possibilem esse, et aliquando contingere, salve fide negari nequit, nam:

1° In *Scriptura*: **a.** plures casus possessionis referuntur et daemoniaci nonnumquam ab infirmis ex professo secernuntur [1]. **b.** Christus ex professo docet, se daemones ejicere in Spiritu Dei, eos de facto expellit imperio suo, eos alloquitur, interrogat aut loqui prohibet [2]. **c.** Christus discipulis suis tribuit potestatem expellendi daemones, a potestate sanadi infirmos distinctam [3].

Intolerabilis igitur est expositio illorum, qui rationalistarum placitis nimis accedentes, putarunt daemoniacos, de quibus evangelia narrant, nonnisi aegrotantes fuisse, et Christum se accommodasse errori judaeorum, morbos quosdam daemoni insidenti tribuentium. Profecto, si res ita se haberet, Christus errorem, eumque in materia religionis, positive confirmasset et efficacissime propagasset.

2° Idem patet ex *traditione* et *praxi ecclesiae*. Veteres Patres saepe efferunt potestatem christianorum ad expellendos daemones [4]; praetera ipsa Ecclesia ordinem Exorcistarum instituit, ac speciales ritus ad exorcizandos obsessos sancivit. Cfr. *Rit. Rom.*

141. *Corollarium*. Possessio daemonis utique peccatum non est, sed malum physicum; nec necessario est poena peccati: Deus enim sicut alias tribulationes, ita et hanc gravissimam et luctuosissimam in varios fines bonos permittere potest: „sive ad gloriae suae ostensionem, sive ad peccati punitio„nem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram erudi„tionem; sed ex qua istarum causarum determinate permittat, „latet hoc humanam industriam" [5].

---

[1] *Mt.* 4, 24; 8, 16; *Mc.* 1, 32—34; *Luc.* 7, 21; *Act.* 5, 16. — [2] *Mt.* 12, 22—29; *Mc.* 5, 32–34; 9, 16—29; *Luc.* 8, 27–34. — [3] *Mt.* 10, 1; *Mc.* 16, 17. — [4] S. JUSTINUS, *Apol.* 2, 6; TERTULL, *Apologetic.* 23; S. CYPRIAN, *Adv. Demetr.* 15; cfr. Diss. *Daemon vel invitus testis div. originis Relig. Christ.* in HURTER, *Opusc. SS. Patrum*, I. — [5] S. BONAV. *In II Sent.* d. 8, p. 2, a. 1, q. 1.

IV. *Operatio magica* est patratio effectus miri, vires inferioris naturae excedentis, ex auxilio diaboli. Dico: effectus *miri*, nam ad vera miracula patranda potentia diaboli non sufficit [1]. Ceterum nomine operationis magicae quemcumque effectum ope daemonis patratum comprehendimus: divinationem, maleficium, magiam pressius dictam, magnetismum, hypnotismum, spiritismum (in quantum scil. de interventu daemoniaco constiterit). — Evidens est magiam, de qua loquimur diabolicam seu nigram, toto coelo distare a magia naturali seu alba, quae miros effectus producit ope dexteritatis aut ingenuosa applicatione virium naturalium. 142.

Probatur possibilitas et exsistentia factorum magicorum ex *s. Scriptura*, quae plura hujusmodi facta refert (e. g. de magis aegyptiacis, de Simone mago, de puella spiritum pythonem habente [2];) et ecclesiam contra portenta falsorum prophetarum, imprimis Antichristi praemunit [3]. Neque omnia, quae de oraculis ac portentis daemoniacis a Patribus referuntur, inter fabulas aut imposturas relegari possunt.

Corollaria. 1. Hac occasione theologi quaerere solent, num detur *ars magica*, i.e. facultas, positis quibusdam signis, miros effectus ope daemonis constanter et certo producendi. Daemonem tale quid cum hominibus perditis pacisci posse, indubium est. Ceterum haec animadvertimus. **a.** Nomen „artis" hujusmodi incoepto non nisi improprie convenit, miri enim effectus non causantur per signa magica, sed per solam potentiam diaboli, occasione et intuitu signorum. **b.** Negari non potest, nonnullos magos frequenter, imo sat constanter auxilium daemonis expertos fuisse ad certa mira patranda [4]. Nihilominus **c.** numquam haberi potest vera certitudo, quod posito signo secuturus sit effectus. Daemones etenim non sunt omnipraesentes nec omniscii, unde signum ipsos 143.

---

[1] *S. Th.* I, 114, 4; cfr. tract. *De ver. Relig.* n⁰ 40. — [2] *Exod.* 7, 11; *Act.* 8, 9--11; 16, 16—18; Cfr. Fr. Schmid, *Die Zauberei u. die Bibel.* in *Zeitschrift f. k. Theol.* 1902, p. 107. — [3] *Mt.* 24, 24; *II Thess.* 2, 9. — [4] Cfr. Schmid, l. c. p. 116 et 123.

effugere potest; deinde mendaces ac maligni sunt, quare forsan promissis non stabunt; demum nihil efficere possunt nisi Deo permittente.

144. 2. In admittendis extraordinariis daemonum insidiis, cavendus est excussus seu nimia credulitas. „Imprimis, ait *Rit. Rom.* [1] ne facile credat [sacerdos] aliquem a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa quibus obsessus dignoscatur. Signa sunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intellegere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatem seu conditionis naturam ostendere;" cet. Et eadem prudentia adhibenda est ubi de infestatione externa, aut operatione magica agitur.

Regula generalis est: influxum diaboli admittendum non esse, nisi argumentis moraliter certis probetur; unde in dubio effectus extraordinarius tamdiu praesumendus est naturalis, donec contrarium ostensum fuerit [2]. Quod tamen directe de judicio theoretico intellectum volumus, nam ubi agitur de experimento practico aut de applicatione mediorum graviter suspectorum, vulgaris prudentia dictat, ut non ex mera curiositate aut leviter adhibeantur, sed tantum propter causam proportionatam; praemissa etiam, si opportunum fuerit, protestatione de excludendo quocumque interventu daemonis [3].

145. 3. Quaeri solet, qua ratione explicari queat influxus daemonis in hominem post adventum Christi, qui „apparuit, ut dissolvat opera diaboli" [4], dixitque: „Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras" [5].

Christus tyrannidem diaboli fregit, quatenus in sanguine suo pretium solvit unde omnes a servitute daemonis redimi possent, simulque ecclesiam instituit, cujus opera fideles suos

[1] *De exorciz. obsessis.* — [2] Legi merentur circa hypnotismum: M. Th. COCONNIER, *L'Hypnotisme franc.* Ed 3, 1903; SCHLATHÖLTER, *Hypnotismus erklärt*, 1900; GRASSET, *L'Hypnotisme et la Suggestion*, 1903; circa spiritismum: DR. C. GUTBERLET: *Der Spiritismus ein psychologisches Problem*, in *Natur u. Offenbarung*, 1897, p. 641; DIPPEL, *Der neuere Spiritismus*, Ed. 2, 1897. — [3] Cfr. Decr. S. Inquis. 26 Julii 1899. — [4] *I Jo.* 3, 8. — [5] *Jo.* 12, 31.

actu a peccato et captivitate diaboli liberat. Revera, quicumque per gratiam Christi justificantur, verre e potestate daemonis eripiunter; quodsi adhuc tentari et aliquando etiam aliis modis infestari a diabolo permittuntur, valida ipsis praesto sunt media, quibus in virtute Christi daemonem vincant. Praeterea, ubicumque per ecclesiam fides Christi disseminata fuit, idololatria, quae daemonum cultus est [1], cessavit et infestatio daemonis multum diminuta est [2].

Ceterum haec scribit S. AUGUSTINUS in illa verba; „Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras": „Possidebat diabolus genus humanum, et reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam, deserto creatore, deceptos captivosque pertrahebat . . . Praedicabat ergo Dominus, quod sciebat post passionem et glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat: cui quando ex fide renuntiant, ejicitur foras . . . Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus de credentium cordibus ejicietur foras, jam fidelium neminem tentat? Imo vero tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare . . . . Quantaslibet tamen adversus nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras. Sed „nisi dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabit, qui custodit." Nolite ergo de vobis ipsis praesumere, si non vultis foras ejectum diabolum intro iterum revocare" [3].

---

[1] *I Cor.* 10, 20. — [2] Quare tempore Christi et primis ecclesiae saeculis tam frequens fuerit possessio dæmoniaca explicare nititur p. JEILER in *Kirchenlex.* in voce *Besessene*, II². p. 518. — [3] *Tract. in Jo.* 52, 6—9.

SECTIO III

DE HOMINE

146. Accedimus demum ad tractatum de homine, in quo mundus materialis ac spiritualis uniuntur, quem Deus, paulo ab angelis minoratum, universae creaturae visibili praeposuit [1].

Ex ordine disserendum venit 1° de hominis natura atque origine, 2° de ejus elevatione ad statum supernaturalem, 3° de ejus lapsu.

CAPUT I

DE HOMINIS NATURA ET ORIGINE

In *art. I* considerabimus, naturam hominis, in *art. II* originem tum protoparentum, tum subsequentium hominum.

ART. I

DE HOMINIS NATURA

147. PROP. 1. **Homo absolvitur corpore organico et anima intellectiva, in unam naturam coalescentibus.**

Proposito in *priori* parte enumerat elementa ex quorum unione homo exsurgit, asserendo ad intrinsecam humanae naturae constitutionem concurrere duo principia invicem vere distincta: corpus et animam intellectivam, nihil vero praeterea; deinde in *altera* parte determinat modum, quo illa elementa inter se cohaerent: uniuntur scil. non accidentaliter, sed substantialiter, i. e. ita ut simul sumpta unam substantiam completam, unam naturam efforment.

Propositionem in toto suo complexu *doctrinam catholicam* enuntiare patet e. g. ex PIO IX: „Noscimus iisdem libris [Guntheri] laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, atque immediata corporis forma" [2]. Quae

[1] *Ps.* 8, 5—9. — [2] *Ep. ad archiep ad Colonien.* 15 Jun. 1857; cfr. DENZ. n° 1509.

enim hic de anima rationali forma corporis dicuntur, praecise „ad docendam unitatem substantialem humanae naturae" pertinent [1], ut infra fusius dicetur.

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura.* „Formavit igitur dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem" [2]. Unde: **148.**

A. Quum hoc loco creatio primi hominis narretur et principia, ex quibus coalescit, ex professo assignentur, nullatenus probabile est aliquod humanae naturae elementum silentio praeteriri. Numerantur autem duo elementa vere distincta: id quod est ex limo terrae et spiraculum vitae. Circa primum nulla difficultas; de altero haec. „Spiraculum vitae" immediate aut principium vitae, aut ipsam vitam significare potest; quodsi vocem immediate de ipsa vita seu actu vitali intellegas, adhuc mediate designat principium quoddam substantiale, a quo actus vitales proficiscuntur; principium dico, distinctum a materia, quum „spiraculum vitae" materiae ab extra adveniat.

Sed estne hoc principium vitae anima rationalis? Certe, nam: a. exhibetur, utique locutione metaphoricâ, ut halitus ex ore Dei emissus: „inspiravit"; quis autem credet, tali imagine significari animam sensitivam? **b.** Homo per illud non solum fit animal vivum, sed etiam imago Dei (qui spiritus est), et idoneus ad dominandum universae creaturae corporali [3]. **c.** In locis parallelis idem illud vitae principium dicitur non interire in hora mortis, sed redire ad Deum, a quo processit: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere" [4]; „Memento creatoris tui, antequam . . . revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum" [5]. Praeterea **d.** ex professo ut principium intellectivum materiae corruptibili opponitur:

---

[1] Cfr. *Ep.* de mandato Pii IX datam *ad Rect. Univ. cath. Insulens.* 5 Jun. 1877. — [2] *Gen.* 2. 7. — [3] *Gen.* 1, 26—30. — [4] *Mt.* 10, 28. — [5] *Eccles.* 12, 7.

„Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam [ψυχήν], et terrena inhabitatio deprimit sensum [νοῦν] multa cogitantem" [1].

149. *B.* Corpus et animam rationalem vere in *unam naturam* coalescere, conficitur ex verbis: „et factus est homo in animam viventem," i. e. in animal vivum, quod certo unionem substantialem innuit. Praeterea eadem unio in multis locis Scripturae aperte supponitur. *Homo* dicitur pulvis esse, operationes vitae vegetativae ac sensitivae exercere, sed etiam intellegere et velle: quae omnia de uno eodemque subjecto praedicari non possent, nisi in eo anima rationalis et corpus unum principium totale operationis, unam naturam constituerent.

150. 2° Ex *SS. Patribus.* Hi enim: a. definiunt hominem ut „animal rationale, constans ex anima et corpore" [2]. Deinde b. ex professo docent, corpus per animam intellectivam animari, vivificari; e. g. S. IRENAEUS: „Non est fortius corpus quam anima, quod quidem ab illa spiratur et vivificatur et augetur et articulatur, sed anima possidet et principatur corpori" [3]. S. AUGUSTINUS: „Spiritus, qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivificat membrum quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam. Anima tua non vivificat nisi membra, quae sunt in carne tua" [4]. S. LEO M.: „Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, h. e. in ea carne, quam assumpsit ex homine et quam spiritu vitae rationalis animavit" [5]. Denique c. quum aliqui tertium quoddam elementum, animam sensitivam, introducerent, patres diserte obstiterunt, docentes eamdem esse animam, qua corpus vivificatur et qua cogitamus; e. g. GENNADIUS; „Neque duas animas dicimus id uno homine . . . sed dicimus, unam esse eamdemque animam in homine, quae

---

[1] *Sap.* 9, 15; „terrena inhabitatio" = terrenum tentorium: γεῶδες σκῆνος. — [2] E. g. S. JUSTINUS (alius auctor saec. 2). *De Resurrect.* 8; ATHENAGORAS, *De Resurr.* 15; S. AUGUST. *De Civ.* 5, 11. — [3] *Adv. Haer.* II, 33, 4. — [4] *Tract. 27 in Jo. 6.* — [5] *Ep. 28 ad Flav.* 2.

et corpus sua societate vivificat, et semetipsam sua ratione disponit, habens in se libertatem arbitrii" [1].

3° Ex *ratione*. Manifestum est, dari in homine duplicem operationem, animalem et intellectivam. Duae illae operationes, quales in homine sunt, non habent per se speciem completam, sed ita invicem indigent, invicem adjuvant, ut vere in unam operationem totalem coalescant; nam animalitas, qualis in homine est, indiget ductu et regimine partis intellectivae, operatio vero intellectualis singulus momentis requirit concursum partis organicae. Jam si corpus et anima unam simul habent operationem completam, dicendum est, eas simul constituere unum principium totale operationis, i. e. unam naturam [2].

Scholion I. *Ergo anima rationalis vere, immediate, per se et essentialiter humani corporis forma est.* — Si corpus et anima rationalis in unam naturam coalescentes hominem constituunt, si ex his duabus anima est principium princeps et activum, a quo elementum materiale accipit esse ac agere humanum, anima rationalis merito vocatur *forma (substantialis) corporis*. Per formam enim substantialem scholastici nihil aliud intellegunt quam illud, quo materia determinatur et perficitur, quo res esse suum specificum acquirit, et primo operatur. **151.**

Est autem anima *vera* forma corporis, forma in sensu proprio, non enim corpori unitur tantum sicut motor mobili (forma assistens), sed corpus informat, i. e. ei suum esse communicat, unam cum illo naturam constituens. Hinc anima rationalis est primum principium omnis vitae in homine: vegetativae, sensitivae, intellectivae: „Anima enim est primum quo nutrimur et sentimus et movemur secundum locum et similiter quo primo intelligimus" [3].

Deinde anima intellectiva est forma corporis *immediata*,

[1] *De eccl. Dogmat.* 15. — [2] Cfr. BEYSENS, *Anthropol.* p. 20—22. — [3] *S. Th.* I, 76, 1.

i. e. non mediante aliqua substantia distincta, ipsi subjecta: anima sensitiva, aut somatica, aut mediatore plastico. Posito enim tali intermedio, anima intellectiva jam non esset in vero sensu forma corporis, nec unam cum illo substantiam constitueret. Cfr. *scholion 2*.

Denique anima intellectiva est forma corporis *per se, et essentialiter*, i. e. per seipsam, suamque essentiam, non vero per aliquam facultatem [1], aut operationum conscientiam [2]. Nam etiam sic unitas substantialis humanae naturae dissolveretur: homo etenim in hac suppositione non esset animal rationale: unum subjectum sentiens simul et intelligens, sed esset animal vivum, accidentaliter sibi conjunctum habens principium intellectivum.

152. Hucusque *doctrina catholica*, quam ecclesia definivit in CONC. VIENNENSI, statuens: „quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus" [3]. Consonat CONC. LATER. V, ubi anima intellectiva „vere, per se et essentialiter humani corporis forma" vocatur [4]; et PIUS IX edicens, quod „anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma" [5].

153. Remanet *quaestio scholastica* circa accuratiorem intellegentiam doctrinae expositae, quaestio scil. utrum anima rationalis immediate uniatur materiae primae, an vero materiae in esse corporis jam constituae. Hoc a Scottistis multisque recentioribus atomismum profitentibus defenditur, illud vero a Thomistis. Scotistae siquidem dicunt primum, scil. prioritate naturae, ex materia prima et forma corporeitatis exsurgere

[1] Ita saec. XIII *Petrus Joannis Olivi*, docens animam rationalem per suas potentias sensitivas et vegetativas informare corpus. Cfr. *Kirchenlex*, in voce: *Olivi*, T. IX, p. 832. — [2] Ita saeculo elapso *A. Rosmini*; cfr. DENZ. n⁰ 1759 et BEYSENS, *Anthropol.* p. 41. — [3] Cfr. DENZ. n⁰ 409. — [4] L. c. n⁰ 621. — [5] *Ep. ad archiep. Colon.* 15 Jun. 1857; DENZ. n⁰ 1509; cfr. *Ep. ad Épisc. Wratisl.* 30 April 1860.

molem corpoream, quae deinde informatur per animam rationalem, a qua esse humanum omnemque vitam recipit. Similiter atomismi sectatores docent, corpus per affinitatem chimicam ex atomis jam compositum accessu animae intellectivae fieri corpus vivum et humanum. Thomistae vero contendunt, animam rationalem immediate informare materiam primam, ideoque subjecto suo tribuere, non solum ut sit corpus vivum et humanum, sed etiam ut sit ens actu et corpus in genere. Audiatur ipse AQUINAS: „Forma perfectior virtute continet quidquid est inferiorum formarum, et ideo una et eadem exsistens perficit materiam secundum diversos perfectionis gradus. Una enim et eadem forma est per essentiam, per quam homo est *ens actu*, et per quam est *corpus*, et per quam est vivum, et per quam est animal, et per quam est homo" [1].

Sententiam thomisticam ut probaliliorem amplectimur, sedulo tamen monentes, decisiones magisterii ecclesiastici supra relatas non ita exponi posse, ut ex iis inferatur praejudicium contra alias sententias, in scholis catholicis libere propugnatas [2].

Scholion 2. *Ergo trichotomia salva fide teneri nequit.* — **154.** *Trichotomia* vocatur ille error, qui praeter corpus (σῶμα aut σάρξ) et animam rationalem (νοῦς), tertiam quamdam substantiam in homine ponit: animam scil. sensitivam, principium vitae sensitivae et vegetativae (ψυχή). Post nonnullos antiquos philosophos, Manichaeosque, trichotomiam docuerunt, diversimode tamen, saec. IV Apollinaris (episc. laodic.), saec. XII Averrhoistae, saec. XIX Guntheriani. Hi tamen stricte loquendo non posuerunt tertiam substantiam in homine; quamvis enim praeter animam rationalem admitterent animam somaticam, principium vitae animalis, illam cum ipso corpore aliqua ratione identificarunt: trichotomia subtilior.

---

[1] *S. Th.* I, 76, 6 ad 1. — [2] Cfr. *Ep.* de mandato Pii IX datam ad *Rectorem Univ. cath. Insulens.* 5 Junii 1877, apud HEINRICH, *Dogm. Theol.* VI, p. 132. — ZIGLIARA, *De mente Conc. vienn. in definiendo dogmate unionis animae humanae cum corpore*", cet.

Magisterium ecclesiasticum trichotomiam saepius rejecit, indirecte (agendo scil. de humanitate Christi) in conc. chalced. [1], directe in conc. constantinop. IV [2]; denique omnibus illis decisionibus, quibus adstruitur animam rationalem esse veram corporis formam.

155. Provocant trichotomistae 1° ad pugnam spiritum inter et carnem, utique animatam, quam omnes experimur, et quae secundum ipsos duas animas supponit; — sed facile respondetur, hanc pugnam in doctrina catholica optime explicari ex eo, quod una anima diversas potentias habet et ab objectis oppositis simul sollicitari potest [3].

Provocant 2° ad quosdam locos Scripturae, quae videntur distinguere inter spiritum et animam e. g.: „Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester et anima et corpus sine querela servetur" [4]. — Respondemus, textus allatos certo non ita intellegi posse, ut doctrinae alias in Scriptura, et etiam ab ipso Paulo traditae [5], contradicant. Censemus ergo, duabus vocibus designari eamden spiritualem substantiam, quae ut principium vitae sensitivae vocetur anima, ut principium vitae intellectivae vocetur spiritus [6]. Aut dici potest. s. Paulum figura rhetorica uti, sicut alibi ipse Christus: „Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua" [7].

Ceterum in s. Scriptura voces *anima* et *spiritus* aliquando ut synonyma promiscue adhibentur [8]; aliquando ita, ut anima inferiorem, spiritus superiorem partem ejusdem substantiae indicet; aliquando, ubi scil. de supernaturalibus sermo est, ita ut anima et animalis (ψυχικός) designet hominem secundum sua naturalia, vel secundum statum hujus saeculi, spiritus

---

[1] DENZ. n° 134. — [2] DENZ. n° 274. — [3] Cfr. S. THOM. *Quodlib.* XI, 5, 5, ad 2; BEYSENS, *Anthrop.* p. 30—31. — [4] *I Thess.* 5, 23; cfr. *Dan.* 3, 86; *Hebr.* 4, 12. — [5] *I Cor.* 7, 34; *II Cor.* 7, 1. — [6] Cfr. S. THOM. *in Ep. B. Pauli*, l. c. — [7] *Luc.* 10, 27. — [8] E. g. *Jo.* 11, 33; 12, 27; *Is.* 24, 9; *Luc.* 1, 46—47; *Sap.* 9, 15.

vero et spiritualis (πνευματικός) hominem donis supernaturalibus instructum, aut hominem glorificatum [1].

Scholion 3. *Ergo anima intellectiva est individualis*, 156.
seu quilibet homo suam habet animam rationalem. Docuerat Averrhoës, singulos suam quidem habere animam sensitivam, sed omnes participare de principio intellectivo numerice uno, substantia scil. separata, quae singulis hominibus copularetur per phantasmata in ipsis exsistentibus [2].

Hunc errorem, qui non solum naturae nostrae unitatem tollit, sed omnem doctrinam de propria cujusque immortalitate ac remuneratione post hanc vitam funditus evertit, CONC. LAT. V proscripsit: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam esse unicam in cunctis hominibus, cum illa pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis et multiplicata et multiplicanda sit" [3]. — Qua definitione etiam excluditur unicitas animae in sensu pantheistico accepta.

PROP. 2. **Anima humana est substantia spiritualis, libera, immortalis.** 157.

Propositio agit de natura animae humanae, quam dicimus esse substantiam, et cujus praecipuas proprietates recensemus. *Substantialitas* animae nostris praesertim temporibus defendenda est contra „psychologos", materialismo imbutos, qui nomine animae nihil aliud intellegunt quam complexum aut seriem operationum superiorum materiae. Nihilominus ex professo de solis *qualitatibus* animae dicemus, tum quia substantialitas in praecedentibus jam continetur, tum praesertim quia explicatio et probatio proprietatum evidentissime ostendit, animam non esse accidens aut complexum accidentium, sed veram substantiam.

---

[1] *I Cor.* **2**, 14—15; **15**, 44, 46. Cfr. HEINRICH, l. c. VI, § 295. — [2] Cfr. S. THOM. *Opusc.* XVI, *De Unitate intellectus; De Spir. creat.* a. 9 et 10; *De Anima*, a. 3 et 5. — [3] DENZ. n⁰ 621.

I. *Spiritualitas animae.*

Spirituale opponitur materiali; materiale autem vocatur tum id, quod materia est: *substantia materialis*; tum id, quod in suo esse a materia pendet: *forma materialis*. Statuendo igitur animae spiritualitatem, asserimus **a.** ejus *simplicitatem*, qua scil. non est substantia materialis, extensa et divisibilis, seu corpus; deinde **b.** ejus *spiritualitatem* (simpliciter dictam), qua n.p. aliter ac formae materiales (ut sunt v.g. animae belluinae), esse et operari queat independenter a materia. Ratione hujus spiritualitatis anima humana vocatur *forma subsistens: forma* quidem, quia ita comparata est, ut ad informandam materiam ordinetur; forma *subsistens* vero, quia etiam separata a materia existere potest.

Spiritualitas animae docetur in CONC. LAT. IV, ubi Deus dicitur creasse „naturam ... humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam" [1]. Praeterea tenendum est, eam etiam sola ratione certo probari [2].

158. *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura.* Haec **a.** animam a corpore distinguit et corpori opponit, quod utique ostendit animam non esse aliquod corpus: „Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa çogitantem" [3]; **b.** asserit animam, occiso corpore, non interire, unde patet eam non esse formam materialem: „Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere" [4]; **c.** animam spiritum vocat, et divino spiritui comparat: „Quis hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominus qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei" [5].

159. 2° Ex *ss. Patribus*, e. g. S. GREG. NYSS. „Quia [anima] immaterialis et incorporea est, ideo propria sua natura actuatur et movetur" [6]. Quodsi quidam s. Patres animam

---

[1] DENZ. n° 355. — [2] DENZ. n° 1506. — [3] *Sap.* **9**, 15. — [4] *Mt.* **10**, 28. — [5] *I Cor.* **2**, 11. — [6] *De anima et resurr.* (Ed. Paris. 1605, I, p. 746.)

subinde „corpoream" dicunt, eorum intentio ex his S. AUGUSTINI verbis aperitur: „Cum de re constat, non est opus certare de nomine. Si corpus est omnis substantia vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur id, quod *aliquo modo est in seipso*, corpus est anima; item si solam illam placet incorpoream appellare naturam, quae *summe incommutabilis et ubique tota est*, corpus est anima, quoniam tale aliquid ipsa non est; porro si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine sistitur vel movetur, non est corpus anima" [1].

3° Ex *ratione*. Quod habet operationem independenter a materia, habet etiam esse independenter a materia: operari enim sequitur esse; atqui anima humana habet operationem independenter a materia; ergo. **160.**

Minor. Anima humana est principium non tantum vitae vegetativae et sensitivae, sed etiam intellectivae. Atqui operationes vitae intellectivae: cognitio intellectualis et appetitio rationalis, absque organo corporali, i. e. independenter a materia exercentur. Sane intellectus percipit abstracta et universalia, voluntas appetit bona immaterialia, quum facultas organica, eo ipso quod organica est, ad concreta et singularia in materia coarctetur.

Dicendo, operationes vitae intellectivae absque organo corporali exerceri, id unum intendimus: sensus ad illas non cooperari *intrinsece*, operationes intellectuales non perfici ab anima per organum corporale. Et hoc ad probandam spiritualitatem animae sufficit. Ceterum libentur concedimus, sensus, *quamdiu anima corpori unitur*, ad cognitionem intellectivam concurrere extrinsece, subministrando phantasmata, in quae intellectus suam operationenem exercet. Et hinc explicatur, quod laesis organis corporeis, etiam operatio intellectualis impeditur. Utrumque assertum breviter complectitur S. THOMAS:

---

[1] *Ep.* 166, c. 2, n° 2. — Pro doctrina patristica de anima cfr. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.* I, p. 977 seq.

„Intellegere est propria operatio animae, et non egreditur ab anima mediante organo corporali sicut visio mediante oculo. Communicat tamen in ea operatione corpus ex parte objecti, nam phantasmata, quae sunt objecta intellectus, sine organis corporeis esse non possunt" [1].

161. II. *Libertas animae.*

Intellegimus libertatem non moralem: libertatem ab obligatione, independentiam; sed physicam, qua scil. anima in appentendis bonis particularibus intellectualiter cognitis immunis est non solum a coactione, sed etiam a necessitate naturae: libertas *arbitrii* seu *indifferentiae.* Vi hujus libertatis anima, positis omnibus quae ad operandum praerequiruntur, non determinatur ad unum (determinismus), sed indifferens manet ad agendum vel non agendum (= libertas excercitii seu contradictionis), ad agendum hoc vel aliud quid (= libertas specificationis), ad agendum hoc vel ejus oppositum (= libertas contrarietatis). Ad libertatem contrarietatis pertinet potestas eligendi illud, quod *apparenter* tantum in finem debitum ordinatur, i. e. malum morale. Haec tamen potestas non spectat ad essentiam aut perfectionem libertatis, sed est defectus libertatis, consequens defectibilitatem intellectus, qui bonum ut malum, et malum ut bonum apprehendere potest [2].

Libertas animae est *dogma fidei* fundamentale, unde a CONC. TRID. [3] damnantur, qui „liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse" dicunt; simul est veritas naturali rationi pervia [4].

162. *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura:* „Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conser-

---

[1] *De Anima*, a. 1, ad 11. — Cfr. BEYSENS, *Anthropol.* p. 10, 24—25; COCONNIER, *L'Ame humaine, existence et nature*; IS. VOGELS, *Onstoffelijkheid en onsterfelijkheid.* — [2] Cfr. *S. Th.* I, **62**, 8 ad 3; *De Ver.* **22**, 6, c. — [3] S. VI, can. 4. — [4] Cfr. DENZ. n° 1506.

vabunt te... Apposuit tibi aquam et ignem, ad quod volueris porriges manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, dabitur illi" [1]. Generatim thesim probant omnes textus, ubi praecepta imponuntur, praemia et poenae intimantur.

2° Ex *ss. Patribus*, e. g. S. IRENAEUS: „Homo, liber in arbitrio factus et suae potestatis, ipse sibi causa est, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat" [2].

3° Ex *ratione*, et quidem ex ineluctabili *testimonio conscientiae*. Reflectendo etenim in proprios actus deprehendimus, aliter a nobis proficisci nonnullos actus necessarios aut indeliberatos, aliter omnino illos actus, quos liberos vocamus. Sentimus siquidem, hos nobis merito imputari, illos non ita. Comperimus, ante actus deliberatos a nobis institui consultationem, utrum expedit hanc rem appetere annon. Inter operandum experimur, nos ita agere hoc prae illo, ut et illud amplecti antecedenter licuisset; item quovis momento ab incepto desistere et in oppositam partem flecti posse, etiamsi nova motiva non accesserint. Denique saepius persentimus, quaedam non alia ratione a nobis eligi, nisi praecise quia volumus. — Atqui haec omnia indubia libertatis signa sunt [3]. 163.

III. *Immortalitas animae*. 164.

Immortale est, quod habet vitam sine fine duraturam. Asserimus autem animae immortalitatem, non *gratuitam* seu accidentalem, qua Deus eam, sicut corpora resuscitata, semper conservaret beneficio indebito: sed *naturalem*, quia ipsa animae natura perpetuam conservationem expostulat.

Immortalitas animae ét ratione probatur, ét *fidei dogma* est ex CONC. LATER. V: „Damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse" [4].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura*. „Nolite timere eos qui 165.

[1] *Eccli.* 15, 14—18. — [2] *Adv. Haer.* IV, 4, 3. — [3] Cfr. BEYSENS, *Dynamilogia*, II, p. 60. — Aliud argumentum vide *S. Th.* I, II, 13, 6. — [4] DENZ. n° 621.

occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam" [1]. Perditio autem haec finem non habet: „Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam" [2]. „Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam" [3].

2° Ex *ss. Patribus*, quorum testimonia afferre supervacaneum est, quum tota traditio „vitam aeternam" apertissime clamet. Quodsi Patres subinde dicunt, animam „gratia" seu „dono" Dei immortalem esse, non intellegunt gratiam in sensu stricto, donum naturae indebitum, sed id unum intendunt, animam non ex necessitate suae naturae, sed ex dono creatoris esse et permanere, a. v. animam immortalem esse per participationem.

166. 3° Ex *ratione*. Anima siquidem corrumpi non potest: neque per se, quia simplex est, neque per accidens (subtractione subjecti, quo ad exsistendum indiget), quia spiritualis est; et ejus annihilatio sapientiae ac bonitati divinae repugnaret. Deus enim, si aliquando animam annihilare vellet, frustra illi dedisset naturam incorruptibilem, frusta indidisset naturale desiderium ad beatitudinem perfectam, proindeque aeternam [4].

167. **Scholion**. *Doctrina immortalitatis in Vet. Testamento* [5]. — Multi rationalistae contenderunt, doctrinam de immortalitate animae non inveniri in iis V. T. libris, qui ante captivitatem babylonicam scripti sunt, eamque proinde vetustissimis Israelitis penitus ignotam fuisse. Haec altera assertio jam antiquata est; recentiora enim studia ostendunt, persuasionem de immor-

[1] *Mt.* 10, 28. — [2] L. c. 25, 46. — [3] *Jo.* 12, 25; cfr. *Sap.* 5, 16; *Dan.* 12, 2. — [4] Cfr. BEYSENS, *Anthrop.* p. 65 seq.; SANSEVERINO, *Anthrop.* n° 202 seq.; KNEIB, *Die Unsterblichkeit der Seele*, et: *Die Beweise für die Unsterblichkeit der Seele.* — [5] Cfr. *Der Katholik*, 1877, II, p. 352; *Zeitschrift f. k. Theol.* 1887, p. 447; *Revue Bibl.* 1898, p. 207; *Études Rélig.* 1899, IV, p. 328; 1900, II, p. 22; FR. SCHMID, *Der Unsterblichkeits- und Auferstehungsglaube in der Bibel*, Brixen, 1902.

talitate animae, de judicio et retributione alterius vitae antiquis Semitis, et generatim populis excultis Orientis familiarem fuisse. Quinimo nonnulli ex adversariis jam in aliud extremum proruerunt asserendo, vetustissimos Israelitas animas defunctorum non tantum immortales habuisse, sed etiam divino honore esse prosecutos (animismus); Scripturam vero ideo de animabus superstitibus obscure tantum locutam esse, ut plebem ab earum cultu removeret. Contra hos breviter observamus, frustra quaeri in Scripturis vestigia animismi [1].

Quaestionem nostram quod attinet, imprimis certum est, recentiores antiqui foederis libros apertissime testari fidem Judaeorum de resurrectione et futura retributione tum piorum, tum impiorum [2]. Haec autem doctrinae capita immortalitatem animae supponunt et involvunt. Jam eadem fides etiam ante captivitatem, imo ab antiquissimis temporibus exsistit, hoc saltem sensu, quod semper expectata fuit retributio alterius vitae, tandem aliquando obtinenda. Argumenta sunt **a.** plurimi illi loci, ubi dicitur omne bonum et malum semper ac certo a Deo retribui. Quum enim etiam antiquis manifestum esse debuit, id haud semper fieri in hac vita, persuasio praedicta ulterioris retributionis fidem involvebat. **b.** Nonnulli textus, qui clarius obscurius rem nostram directe tangunt. Job resurrectionem carnis aperte enuntiat [3]; Psalmi aliquando manifestant spem vitae aeternae et liberationis e regno mortuorum [4]; Balaam sibi exoptat mortem justorum [5]; patriarchae vitam suam considerabant ut peregrinationem, quia — ita explicat auctor *ep. ad Hebr.* — coelestem patriam inquirebant [6]. Atqui haec omnia immortalitatem animae supponunt.

---

[1] Cfr. *Revue Bibl.* 1902, p. 212. — [2] Cfr. v. g. *II Mach.* **6**, 26; **7**; **12**, 45—46; **14**, 46; *Eccli.* **11**, 28; **51**, 38; *Sap.* **3**, 4; **5**; *Tob.* **4**, 3; **12**, 9; *Dan*, **12**, 1—3. — [3] *Job.* **19**, 25—27. — [4] *Ps.* **16**, 15. David rogat ut Deum videre possit, et in hora suscitationis inde satietur (Cfr. *Rev. Bibl.* 1905, p. 188); — *Ps.* **48**, 15—16, dicitur iniquos descendere in scheol, ibique consumi, animam vero justi ex manu inferi liberari; — *Ps.* **72**, 17—20, 24, Psalmista dicit impios perire, se vero postea assumptum iri in gloria. Cfr. textus originales. — Cfr. etiam *I Reg.* **2**, 6; *Osee*, **13**, 14 et praecipue *Is.* **26**, 19. — [5] *Num.* **23**, 10. — [6] *Gen.* **47**, 9; *Hebr.* **11**, 9—10, 13—16.

Praeterea non desunt etiam in libris antiquioribus loci ipsam permanentiam animae, a corpore solutae, immediatius attestantes. Sane **a.** morientes saepe dicuntur *ire*, *colligi*, *pergere ad patres suos*, *ad populum suum* [1]. Quum autem hae locutiones etiam adhibeantur, quando moriens minime juxta patres suos sepelitur, de congregatione in receptaculo animarum intellegi debent. Huc etiam pertinet, quod Jacob loquens de filio suo Joseph, quem a fera devoratum putot, dicit [2]: „Descendam ad filium meum lugens in infernum [שְׁאוֹל]". Ceterum vox שְׁאוֹל (LXX: ἅδης; *Vulg.:* infernus, inferi) in V. T. ut plurimum non sepulcrum, sed regnum mortuorum, locum animarum significat. — **b.** Aliud argumentum praebet vetitum de non evocandis mortuis [3]. Nisi enim Judaei animas corpori superstites esse credidissent, de interrogandis mortuis cogitare non potuissent.

168. Certum itaque est, etiam in antiquissimis V. T. libris immortalitatem animae, sin minus ex professo doceri, reapse tamen contineri. Hoc autem posito concedendum est:

1° Scripturam V. T. neque docere *cujusmodi* erit retributio alterius vitae, neque aperire *quandonam* illa obtinebit, nisi quod eam in longinquum ponat, et modo indeterminato cum regno Messiano et resurrectione corporis connectat.

2° Scripturam V. T. de statu animarum in scheol nihil positivi aperire nec aliter eum describere quam per oppositionem ad hanc vitam, excludendo scil. a scheol, actus et gaudia hujus temporis [4]. Praeterea nullibi aperte diversificatur sors piorum et impiorum in scheol; ipsi etiam viri sancti nonnumquam ita loquuntur, ut pateat eos in die mortis tristem sortem exspectare [5]. — Moestus prospectus piorum explicatur ex eo, quod a lapsu Adae usque ad Christum coelum

---

[1] Cfr. *Gen.* **15**, 15; **25**, 8, 17; **49**, 29, 32, cfr. **50**, 1 seq.; *Num.* **20**, 24; *Deut.* **32**, 50; *III Reg.* **2**, 10; **16**, 28; *IV Reg.* **21**, 18. — [2] *Gen.* **37**, 35. — [3] *Lev.* **19**, 31 (Hebraice); *Deut.* **18**, 11; cfr. *I Reg.* **28**, 7 seq. — [4] *Job.* **10**, 21—22; *Ps.* **87**, 12—13; **113**, 17; *Is.* **38**, 18. — [5] *Gen.* **37**, 35; *Job.* **10**, 21—22.

omnibus clausum fuit; unde tunc temporis etiam sanctissimum quemque excipiebat limbus, locus poenalis, quem ipse b. Petrus carcerem appellat [1]. Cetera ostendunt revelationem antiquam prae nova fuisse valde incompletam; nihil praeterea.

3° Legem antiquam non nisi temporalium bonorum promissiones aperte inducere. — Sed memento imperfectionis Legis, quae paedagogus quidem in Christum exstitit, ipsa vero neminem justificare potuit. Nonne incongruenter vitam aeternam promisisset Lex, quae gratiam ad eam promerendam dare nequibat?

Remanet difficultas ex *Ecclesiaste*, qui de immortalitate 169.
animae saltem dubitasse dicitur. En textum: „Unus interitus est hominis et jumentorum . . . omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, et in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi nihil esse melius, quam laetari hominem in opere suo" [2].

Quum autem immortalitas animae ab ipso Ecclesiaste alibi claro enuntietur [3], nullo modo admitti potest, in textu citato doctriam contrariam ab eo proponi. Ceterum exegetae in diversas abeunt sententias, quarum potiores breviter indicamus. Plures ita interpretantur: homines et jumenta aequaliter moriuntur, et quantum ad corpus pariter revertuntur in terram. Est quidem differentia quantum ad animam, sed quam pauci considerant et perpendunt, aliter esse in hora mortis de spiritu hominis, quam de spiritu jumentorum: „quis novit"= quis perpendit ac meditatur [4]. Alii putant, Ecclesiastem ingenue confiteri, se *olim*, externae apparentiae nimis inhaerendo, de permanentia animae incaute dubitasse [5]. Alii denique, admittentes librum nostrum scriptum esse saec. II a. C., quum inter Judaeos jam spargebatur positio Graecorum, animabus justis beatitudinem in die mortis promittentium, opinantur Ecclesiastem se huic sententiae, traditioni contrariae, opposuisse

---

[1] *I Petri*, 3, 19. — [2] *Eccles.* 3, 19—22. — [3] *Eccles.* 12, 7, cfr. 3, 17. — [4] Ita v. g. BEELEN, in h. l. — [5] Ita A. DURAND, in *Études Rélig.* 1900, II, p. 42.

dicendo; quis scit, quis affirmare potest, animam in die mortis non *descendere* in tristem scheol, sed *ascendere* sursum, i. e. ad sortem beatam transire? Quod quum absque fundamento asseratur, honeste fruamur delectationibus vitae praesentis [1]. Ultimam hanc solutionem indicavit S. HIERONYMUS scribendo: „Si autem videtur haec esse distantia, quod spiritus hominis ascendat in coelum, et spiritus pecoris descendat in terram, quo istud certo auctore cognovimus? Quis potest nosse, utrum verum an falsum sit quod speratur? Hoc autem dicit, non quod animam putet perire cum corpore, vel unum bestiis et homini praeparari locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur ... Clausa erant coelestia, et spiritum pecoris hominisque aequalis vilitas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen non multum intererat perire cum corpore, vel inferni tenebris detineri" [2].

170. *Corollarium.* Ex iis, quae de natura animae dicta sunt, facile intellegitur, quare homo dicatur creatus *ad imaginem et similitudinem Dei* [3]. Ut res sit imago alterius, duo requiruntur: **a.** ut sit illi similis vel secundum speciem, vel secundum aliquod signum speciei (quale in corporalibus praecipue est figura); **b.** ut haec similitudo ex altero tamquam ex exemplari inducta sit [4]. Jam homo prae inferioribus creaturis est imago Dei ratione animae suae, quae, quum sit natura intellectualis, in suo esse specifico habet aliquam, licet imperfectissimam, cum Deo similitudinem, eamque ex Deo tamquam exemplari inductam: „faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram" [5].

Christiana revelatione illustrati docuerunt Patres et theologi, in homine non solum inveniri imaginem Dei in quantum est unus natura, sed etiam ut est trinus personis. Nam „in

---

[1] Ita A. CONDAMIN, in *Revue Bibl.* 1899, p. 493 et 1900, p. 369. — [2] *Comm. in Eccles*, in h. l., MIGNE, *P. L.* **23**, p. 1041. — [3] Cfr. *S. Th.* I. **93**. — [4] L. c. **43**, 1, c. — [5] *Gen.* 1, 26—27.

creaturis rationabilibus, in quibus est intellectus et voluntas, invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis, in quantum in eis invenitur verbum conceptum et amor procedens" [1]. Haec de homine, quatenus secundum *sua naturalia* imaginem Dei refert.

Art. II

De hominis origine

Prima hujus art. propositio respicit originem protoparentum; aliae duae ortum ceterorum hominum, *secunda* quidem quantum ad corpus, *tertia* vero quantum ad animam.

Prop. I. **Adam et Eva tum quoad animam, tum quoad corpus, nulla evolutione interveniente, a Deo sunt conditi.** 171.

Dicendo „*nulla* evolutione interveniente", excludimus non solum evolutionismum crudum, qui contendit hominem, secundum totum quod est, explicatione inferioris naturae ortum esse (cfr. n° 41.), sed etiam evolutionismum mitigatum et spiritualisticum, qui docet, corpus quoddam bruti animalis evolutione teleologica eousque pervenisse, ut aptum fieret ad recipiendam animam rationalem, Deumque, creando et infundendo talem animam, corpus primi hominis ex hujusmodi substrato animali efformasse (Mivart, Zahm, paucique alii).

Ceterum actio, qua Deus hominem condidit, quantum ad animam, erat creatio in sensu stricto; quantum ad corpus creatio secunda, seu productio ex praejacente materia.

[1] *S. Th.* I, 45, 7, c. — Multi antiqui et nonnulli recentiores catholici putant formam pluralem: facia*mus* hominem ad imaginem [*nostram*] et similitudinem *nostram*, insinuare pluralitatem personarum in Deo; plures moderni critici eam habent ut vestigium polytheismi, non quidem ipsius auctoris, sed fontis ab eo adhibiti. Primum forte nimium est; alterum ad minus valde incertum. Quidquid est, etiam critice certum est, sensum polytheisticum apud auctorem penitus excludi. Forma pluralis explicatur ex duobus, n. p. ex solemnitate eventus descripti et ex forma plurali vocis *Elohim*. Vocem vero *Elohim* nullatenus arguere pluralitatem subjectorum, praesertim post documenta apud El-Amarna inventa (in quibus rex Aegypti hoc nomine salutatur), indubium est. Cfr. Zapletal, *Schöpfungsbericht*, p. 25—28.

Propositio in quantum asserit creationem animae ex nihilo, *dogma fidei* est ex manifesta praedicatione universalis ecclesiae; in quantum vero omnem evolutionem a productione corporis humani excludit [1], est *doctrina communis* Patrum ac theologorum, quae saltem in praesenti quaestionis statu in dubium vocari nequit. Primo siquidem auctores catholici, insinuante legitima auctoritate, a defensione opinionis contrariae abstinere debuerunt [2]. Deinde *Comm. pontif. de Re biblica* die 30 Junii 1909 ad quaesitum: „utrum speciatim sensus literalis historicus [trium priorum capitum Geneseos] vocari in dubium possit ubi agitur de factis in iisdem capitibus enarratis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt inter cetera . . . peculiaris creatio hominis, formatio primae mulieris ex primo homine . . ?" respondit: „negative". Terminus „peculiaris creatio hominis" per se quidem aliquam

---

[1] Consulto abstinuimus a formula: Adam et Eva tum quoad animam, tum quoad corpus *immediata Dei actione* conditi sunt; nam evolutionismi baptizati fautores formationem immediate divinam corporis humani non negant. Substratum dicunt animale, ex quo corpus primi hominis factum est, ante infusionem animae rationalis, nullatenus erat corpus humanum, sed corpus bruti factum est corpus humanum per infusionem animae intellectivae, ergo per actionem immediate divinam. Alii addunt, infusionem rationalis animae ipsum substratum non parum modificasse. Aliunde s. Thomas non quidem asseruit; sed tamen ut possibile admisit, angelos ministerio quodam, ipsi efformationi humani corporis praevio, intervenisse. *S. Th.* I, 91, 2, ad 1. Cfr. S. AUGUST. *De Gen. ad litt.* l. IX c. 15. — [2] Huc pertinent: 1⁰ declaratio M. D. LEROY (auctoris opusc. *L'Évolution restreinte aux espèces organiques*): „J'apprends aujourd'hui, que ma thèse examinée ici, à Rome, par l'auctorité compétente a été jugée insoutenable surtout en ce qui concerne le corps de l'homme, incompatible qu'elle est tant avec les textes de la S. Écriture, qu'avec les principes d'une saine philosophie." 27 Febr. 1895; *Civiltà* S. 17, t. 5, p. 49; cfr. S. 18, t. 6, p. 75—77. — 2⁰ Declaratio Illmi BONOMELLI, Ep. Cremon. (qui in appendice cujusdam operis doctrinam evolutionisticam de origine corporis humani per modum hypothesis exposuerat): „Molte persone amiche e benevole, e assai competenti per scienza e autorità, a voce e in iscritto, mi fecero osservare, che quella dottrina, anche come semplice ipotesi, e una dottrina, che non sia perfettamente comforme all' insegnamento delta Chiesa". 22 Oct. 1898; cfr. *Civiltà*, S. 17, t. 4, p. 362. — 3⁰ Epistola J. A. ZAHM (ad traductorem operis infra nominati): „I have

latitudinem admitteret, sed terminus: „formatio primae mulieris ex primo homine" omnem evolutionem pro corpore Evae manifeste excludit. Porro nemo prudens contendet, corpus Adae evolutione, corpus Evae sine evolutione formatum esse; ergo.

Dixi: „*saltem* in praesenti quaestionis statu", i.e. donec evolutionis patroni validiora argumenta protulerint. Attamen factum quod peculiaris creatio hominis et formatio primae mulieris ex primo homine recensentur inter facta, christianae religionis fundamenta attingentia, insinuare videtur, intellectum traditionalem in hac materia, utpote ad aedificationem doctrinae christianae pertinente, plenam certitudinem praebere, ita ut evolutionistis etiam spes inveniendi argumenta apodictica praecludatur.

In probatione solam productionem corporis spectamus, quia post ea, quae de natura hominis jam delibuimus, quaestio de anima satis solvitur ex iis, quae infra (Prop. 3) dicturi sumus.

Probatur. — 1° Ex *s. Scriptura*, quae ita narrat produc- **172.**
tionem protoparentum: „Et creavit dominus Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et foeminam creavit eos" [1]. „Formavit igitur dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem" [2]. „Immisit ergo dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est" [3]. — Atqui his textibus theoriam evolutionis non solum apparenter, seu secundum sensum obvium, sed etiam vere excludi, sequentia suadent [4].

learned from unquestionable authority, that de Holy See is adverse to the further distribution of *Evolution and Dogma*, and I therefore beg you, to use all your influence to have the work withdrawn from sale". 31 Maji 1899; cfr. *Fortnightly Review*, Jan. 1900, p. 37. — [1] *Gen.* 1, 27. — [2] *Gen.* 2, 7. — [3] *Gen.* 2, 21—23. — [4] Cfr. *Stimmen a. Maria-Laach*, 13, p. 122.

a. Dicitur, corpus primi hominis per infusionem animae intellectivae accepisse vitam: „factus est homo in animam viventem" = animal vivum; in hypothesi vero evolutionistarum substratum animale jam antea vivebat.

b. Textus hebraeus habet: „formavit Deus haadam pulverem ex haadamah," i.e. terrenum pulverem de terra [1]. Nomen autem *terreni* in hypothesi evolutionistarum satis inconveniens esset, praesertim quum non sine emphasi adjiciatur: „pulverem de terra".

c. Narrationem de ortu primae mulieris universa traditio ita accepit, ut significetur, corpus Evae vere ex costa Adae formatum esse" [2]. Quis autem contendet, corpus Adae evolutione, corpus Evae alia prorsus ratione factum esse? Deinde hinc confirmatur, quod supra de nomine „terreni" diximus: si enim Eva vocatur „virago" seu „vira", quia de viro sumpta est, utique immediate, pronum est concludere, etiam vocem „terrenus" immediatam originem indicare.

173. d. Adam, uxorem suam accipiens, eam praecise quantum ad conditionem corporalem cunctis animalibus opponit dicendo:

---

[1] *Adam* primo loco est nomen specificum = homo (*Gen.* 1, 26, 27, 5, 1—2; 6, 1—2); deinde etiam nomen proprium primi individui. Derivatur autem a verbo אָדַם = rubuit; terra enim fertilis, ita p. Lagrange; a rubicundo nominatur, quia revera in Palaestina ac Syria rubrum colorem habet (*Rev. Bibl.* VI, p. 343). — [2] Scribit tamen card. CAJETANUS (in h. l.): „Cogor ex ipso textu et contextu intellegere hanc mulieris productionem non ut sonat littera, sed secundum mysterium non allegoriae, sed parabolae". Cajetanum nostris diebus sequebatur e. g. p. LAGRANGE, *Rev. Bibl.*, 1897, p. 348 et 364. DE HUMMELAUER scribit: „Si quaeras, cogarisne defendere Deum costam revera sustulisse, responsio non est ita plana. Dubitabat Augustinus: „sive ergo ista figurate dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt, sed sunt plane mysteria et sacramenta [*De Gen. c. Manich.* II, 12, 17] . . . Duae sententiae; altera tenet ablatam esse costam et auferri conspectam in visione . . . alteram in se nihil esse ablatum tuetur, visione tamen conspectam auferri costam, quo matrimonii sanctitas et firmitas significetur. Utram libuerit sententiam amplectere" (*Comm. in Gen.* p. 149—150). Idem sentiunt HOBERG, *Die Genesis*, p. 36, et SCHÖPFER, *Gesch. d. A. T.*, Ed. 3, p. 43.

Attamen in favorem explicationis traditionalis militant 1. verba *I Cor.*

„Hoc nunc [tandem] os ex ossibus meis, et caro de carne mea; haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est" [1]. Dicant igitur evolutionistae, quomodo explicentur et verificentur haec verba in hypothesi, quod Adam et Eva fuerint „os ex ossibus et caro de carna" illorum animalium.

e. Ubicumque Scriptura postea originem humani corporis memorat, semper et unice „terram" nominat; v.g. „In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris . . . Et emisit eum dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operatur terram, de qua sumptus est" [2]. „Antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum" [3]. . . „Sum quidem et ego mortalis homo . . . de genere terreni illius, qui prior factus est [γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτόπλαστου]" [4]. „Deus creavit de terra hominem, et iterum revertet illum

---

11, 8: „Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro"; et *Eccli.* 17, 5: „Creavit [Adae] ex ipso adjutorium simile sibi" (qui textus tamen in graeco non habetur). **2.** Consensus ss. Patrum, non excepto Augustino. Supposito autem quod intellectus Patrum in hac materia non sit absolute peremptorius, certo non licet ab eo recedere sine gravi ratione. Jam **3,** nisi Deum laniorum more egisse gratis fingas, non habetur ratio sufficiens a sensu obvio recedendi, et contra gravis ratio eum retinendi. Si enim Eva revera ex Adae substantia facta est, perfectior apparet generis humani unitas (*Act.* 17, 26) et altius insinuatur matrimonialis vinculi firmitas.

Augustinum quod attinet, si revera aliquando dubitavit (quod inspecto contextu *de Gen. c. Manich.* l. c. certum non est), dubitationem postea deposuit. Ipse s. Doctor narrat (*De Gen. ad litt.* VIII, 2), se brevi post conversionem suam, „*non praejudicando meliori diligentiorique tractatui,*" in opere *De Gen. c. Manich.* plura figurate explicasse, quae postea „*diligentius intuens atque considerans*" secundum litteram accipienda esse intellexit. Atqui in suis operibus posterioribus formationem Evae aperte et sine haesitatione litteraliter exposuit. Cfr. *De Gen. ad litt.* IX, e. 15 et 16; *De Civ.* XII, c. 21, 23, 27; *In Jo.* Tract. 9, n⁰ 10; *In Ps. 56,* n⁰ 11. — [1] *Gen.* 2, 23; cfr. 18—20. — [2] *Gen* 3, 19; 23. — [3] *Eccles.* 12, 7. Hic locus agit de hominibus in communi; si tamen quaeras, quare de singulis hominibus dici potest, quod eorum „pulvis in terram suam, unde erat" revertatur, unica responsio: quia corpus primi hominis de terra sumptum est. — [4] *Sap.* 7, 1.

in ipsam" [1]. — „Omnes homines de solo et ex terra, unde creatus est Adam" [2].

174. 2° Ex *traditione*. SS. Patres summo consensu narrationem Scripturae de origine humani corporis ad litteram intellexerunt [3]. Neque ita liquet, narrationem illam, quantum ad suam substantiam, i.e. *quantum ad productionem immediate divinam, absque auxilio causarum secundarum*, non esse e censu rerum „ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium." Patres frequenter dicunt, dignitatem nostrae naturae commendari, maximam distantiam hominem inter et reliquas creaturas insinuari in eo, quod cetera sola jussione Dei prodeant, corpus vero humanum ipsis veluti manibus Dei efformari dicatur. Quid sibi vult ista differentia? Numquid Patres putarunt, Deum habere manus, eumque per modum figuli lutum compressisse? Probe sciverunt non manu, sed omnipotenti voluntate cuncta esse perfecta. Sed metaphorâ manuum divinarum significare voluerunt, corpus humanum magis quam alias res a Deo immediate, i.e. absque ministerio causarum secundarum esse productum, a.v. putarunt, immediatam corporis Adae productionem doceri in argumentum dignitatis nostrae [4]. Quod si ita est, res de qua agitur, sub hoc respectu, non est aliquid mere profanum. Simul vides, haud alienos esse a mente Patrum theologos qui docent, theoriam evolutionis quoad plantas et animalia cum doctrina fidei facile componi, quoad corpus hominis non ita.

175. Pro rei gravitate nonnulla testimonia Patrum subjicimus.

[1] *Eccli* 17, 1—2. — [2] *Eccli* 33, 10. — [3] Putavit quidem *S. Augustinus*, corpora protoparentum primo „potentialiter", „causaliter" (*De Gen. ad litt.* VI, 6, 10) creata esse, postea actu; sed haec sententia evolutionistis non favet. Mens enim s. Doctoris (uti ipse satis explicavit, l. c. IX. 17, 18) haec erat: corpora protoparentum praeexstiterunt causaliter et potentialiter in materia mundana, scil. secundum causam materialem et potentiam, quam vocant, obedientialem; postea vero ab ipso solo Deo immediate agente producta sunt actu. — [4] Cfr. hac de re *Études rélig.* T 47 (1889) p. 45.

S. THEOPHILUS ANTIOCH: „Quum enim Deus verbo omnia fecisset, solum sempiternum opus manibus dignum existimat hominis creationem" [1].

ORIGENES: „Fit quidem anima, at fingitur: corpus:, faciamus... sumens lutum e terra efformavit'... Non solummodo hominem fecit ut ceteras creaturas, sed et plasmavit eum, proprio ipsius opificio honestans" [2].

TERTULLIANUS: „Incipiat jam tibi caro placere, cujus artifex tantus est. Sed et mundus, inquis, Dei opus est!... Ad distantiam provocamus. Primo quidem quod omnia sermone Dei facta sunt, et sine illo nihil. Caro autem ét sermone Dei constitit... ét amplius manu propter praelationem: ‚et finxit, inquit. Deus hominem'. Magnae sine dubio differentiae ratio, pro conditione scil. rerum" [3].

S. HILARIUS: „Habet primo hanc origo hominis dignitatem, quod ei proprium fuit, de se ante tractari [‚faciamus']. Verum et in hoc praesenti prophetico dictu ['Manus tuae fecerunt me'] ingens humanae originis privilegium continetur. Non enim manus Domini pecora et aquatilia et volatilia fecerunt; nusquam istud Scripturae tradiderunt. Egregium hoc itaque et praeclarum in homine est, quia a ceteris dignitate operationis excipitur" [4].

S. GREGORIUS NYSS: „Si simpliciter scriptum esset: ‚fecit', cogitares hominem fuisse factum ut feras, ut cete, ut plantas, ut herbas. Quocirca ut te cum agrestioribus intelligeres nihil habere commune Moyses proprium et singulare Dei in te creando artificium explicavit: sumpsit Deus pulverem de terra. Tunc quid Deus fecerit, dixit; nunc qua ratione fecerit exponit: pulverem sumpsit de terra, hominemque propriis manibus formavit" [5].

S. CHRYSOST., allato *Gen.* 2, 7: „Quod tunc dicebam et nunc dicam et subinde memorare non cessabo: magnam et ineffabilem esse benignitatem communis omnium Domini erga genus nostrum... Vide quomodo et modum creationis doceat et diversitatem [prae creatione aliarum rerum], qua, ut humano more loquar, veluti Dei manibus formatum ipsum [hominem] indicat". — Et mox: „Hic perpende, quantum intersit inter hujus admirabilis animalis rationalis et brutorum formationem discrimen. De illis enim dixit: ‚Educant aquae reptilia', et simul prodierunt ex aqua animalia animata; et

[1] *Ad Autol.* l. II, c. 18. — [2] *In Ps. 118, 73*, apud PITRA, *Anal. sacr.* III, p. 279. — [3] *De resurr. carn.* c. 5. — [4] *In Ps. 118*, litt. jod, n⁰ 4—5. — [5] *Orat. 2 in hominis procreat.* sub initio (Ed. Par. 1605, I, p. 38).

in terra similiter: ‚Producat terra animam viventum'. De homine autem non sic, sed prius de pulvere corpus formatur postea vitalis illi spiritus datur'' [1].

S. CYRILLUS ALEX: ,,Sed antequam faceret deliberandum censuit, quamvis ceteram creaturam protinus ediderit, suoque verbo ut Deus constituerit. Sed cum homo animal aptum et Deo quam simillimum sit, ne supernae majestatis similitudinem communem cum ceteris creaturis honorem assequi videretur, simul et deliberando et faciendo ceteris hominem praetulerat. Statuam itaque finxit ex limo . . .'' [2].

THEODORETUS: ,,Divinam naturam neque manus habere, neque consilio aut praemeditatione egere profitemur; . . . sed unumquodque horum majorum Dei sollicitudinem demonstrat erga animal hujusmodi'' [n. p. hominem] [3].

176. 3° *Ratione theologica.* Fide tenendum est, universum genus humanum ab uno pare descendere (cfr. *prop.* **2**). Atqui theoria evolutionistarum cum hac doctrina aegre tantum componitur. Admittere enim debent, regnum animale in duobus tantum individuis eam perfectionem attigisse, ut aptum fieret ad recipiendam animam intellectivam. Quae positio, etsi per specialissimum divinae providentiae ductum explicari posset, certe parum cohaeret cum postulatis evolutionismi, qui naturalem in omnibus processum adstruere nititur.

177. En argumenta theologica contra theoriam evolutionismi baptizati, humano corpori applicatam. Judicio multorum theologorum ejusmodi sunt, ut rem *absolute* conficiant. Quod si fortasse nimium alicui videtur, is saltem concedat necesse est, ex fontibus theologicis contra praedictam theoriam exsurgere praesumptionem gravem. Quo posito et ipse admittere debebit, doctrinam antiquam non posse absque temeritate dimitti, aut in dubium positivum revocari, donec in favorem novae theoriae afferantur rationes graves, i. e. argumenta, sin minus peremptoria, saltem solide probabilia. Jam vero praeparatio humani corporis per evolutionem scientifice non

[1] *Hom.* 13 *in Gen.* n° 1 et 3. — [2] *In Gen.* l. I (Ed. Par. 1572, p. 2). — [3] *Quaest. in Gen.* Interrog. 19.

est hypothesis serio probabilis, sed *mera suppositio*, conjecturis tantum nitens atque deductione male fundata.

Nititur primo *conjecturis*, neque enim morphologia (comparatio organismi humani cum organismis brutorum), neque historia (facta palaeontologica et ethnographica) argumenta vere probabilia in favorem theoriae suppeditant.

Nititur potissimum *deductione*, nam argumentum princeps adversariorum est, corpus humanum non posse rationabiliter excipi ab universali lege evolutionis, in mundo organico obtinente. At deductio caret fundamento. Universalis lex evolutionis gratuito supponitur; illa enim evolutio, quae factis suadetur ac proinde positiva probabilitate gaudet, saltem non transcendit fines singulorum ordinum regni animalis. Atqui corpus humanum ab omnibus reliquis regni animalis typis ita differt, ut proprium ac peculiarem ordinem constituat [1].

Addere liceat theoriam, quam impugnamus, nemini satisfacere: non christianis, quos assertio cognationis homines inter et bestias scandalizat; non rationalistis, quibus theoria evolutionis, si ei productio animae intellectivae subtrahatur, insipida et ridicula evadit.

Scholion. *De modo productionis protoparentum.* — Theologi censent, *Gen.* 1, 26—27, breviter narrari utriusque protoparentis creationem modum vero magis explicari *Gen.* **2.** Supra jam monuimus, graphicam Geneseos descriptionem non carnaliter intellegendam esse, Deus enim qui spiritus est, omnia tum in Adae tum Evae formatione sola omnipotenti voluntate perfecit [2]. **178.**

Communior et rationabilior sententia habet, neque corpus ante animam, neque animam ante corpus, sed utrumque eodem instanti esse productum, a. v. Deum creando animam, simul per ejus infusionem corpus efformasse [3].

---

[1] Quae supra breviter innuimus, probata invenies apud cl. BEYSENS, *De Ontwikkelingsgeschiedenis der organische soorten*, p. 109 seq. — [2] S. AUGUST. *De Gen. ad litt.* VI, 12, VII, 1. — [3] *S. Th.* I. 90, 4; 91, 4 ad 3. —

Ex narratione Scripturae [1] patet, propagationem humani generis per maritalem conjunctionem in ipsa naturae institutione a Deo ordinatam esse, non vero, ut quidam antiqui putarunt, propter peccatum inductam [2]. Praeterea merito infertur, homines in perfecta aetate conditos esse.

179. PROP. 2. **Universum genus humanum ex uno protoparente Adamo ortum habuit.**

Communis origo omnium hominum ab uno progenitore Adam, defendenda est contra *polygenistas:* prae-adamitas et co-adamitas.

Saeculo XVII medicus quidam Burdigalensis, Izaac de la Peyrère docebat, *Gen.* 1, 27 narrari creationem maris et feminae, ex quibus orti essent gentiles (qui tamen in diluvio omnes interiissent); *Gen.* 2, 7 seq. vero referri creationem Adae et Evae, ex quibus propagati essent Judaei.

Inde a fine saec. XVIII multi increduli plures familias originarias ponunt, asserendo, homines aut nimis inter se differre, aut, attenta generis humani antiquitate, nimis multos esse, quam ut ab uno protoparente oriri quiverint. Hos co-adamitas vocare possumus.

Propositio, licet numquam ex professo definita, *de fide* est ex universali praedicatione Ecclesiae [3].

180. *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura.* Haec a aperte ostendit initio nullos fuisse homines praeter Adam et Evam: „Homo non erat, qui operaretur terram . . . formavit igitur dominus Deus hominem . . . Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi . . . Et aedificavit dominus

[1] *Gen.* 1, 27—28; 3, 22—25. — [2] Cfr. *S. Th.* I, 98. — [3] Pro conc. vatic. praeparatus erat canon: „Si quis universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum esse negaverit, a. s." — Ceterum thesis intellegenda est de nostra terra, et quidem de illa epocha, cujus initium narrat *Gen.* 1, 3. — Hic fidem non laederet, qui aut in astris rationales quasdam creaturas collocare vellet (de quo legi meretur C. DE KIRWAN: *Le veritable concept de la pluralité des mondes,* in *Rev. d. Quest. scientifiques,* 1902. p. 5), aut hic in terris generationem hominum, ante Adam jam extinctam, admitteret (uti facit FABRE d'ENVIEN, *Les origines de la terre et de l'homme*). —

Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem" [1]. Quae ut vera sint, omnino necesse est, narrationem *Gen.* 1, 27—29 de iisdem Adam et Eva, non de aliis, intellegere. Cfr. *Gen.* 5, 1 seq. Deinde **b.** ex professo docemur, omnes homines ab *uno* aliquo, qui primus et solus creatus sit, ortum ducere: „Haec [sapientia] eum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus," . . . . [2]. „Fecitque [Deus] ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae" [3]. „Unum" illum Adamum esse nemo dubitat.

2° Ex *Traditione,* e. g. S. AUGUST: „In ipso exordio „Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantum- „modo Judaeorum" [4].

3° Ex *ratione theologica.* Postea ostendemus, omnes homines nasci infectos culpa originali, quam generatione ex Adam contrahunt. Haec autem doctrina, quae fundamentalis est, communem omnium ortum ex Adam supponit.

Object 1. Caïn, filius Adae, legitur **a.** a Deo signari, ne occidatur ab omni, qui eum invenerit; **b.** uxorem ducere; quinimo **c.** civitatem aedificare [5]; atqui haec cum doctrina de una familia primitiva componi nequeunt. **181.**

Resp. Quum, brevi post occisionem Abel, Seth nascebatur Adam habebat 130 (vel secundum LXX: 230) annos [6]; potuit igitur jam permultos habere filios ac nepotes. Quot posteri etiam nostris temporibus intra 100 annos ex uno matrimonio procreantur! Nec obstat, quod ante Seth Caïn tantum et Abel in Scriptura nominentur; aderat enim specialis ratio illos memorandi; etiam ex iis filiis ac filiabus, quos Adam postea genuit [7] nullus nominatur.

Debuerunt utique primi filii Adae sorores ducere, sed talis conjunctio non ejusmodi est, ut spectato solo jure naturae nulla necessitate potuerit honestari [8]. Potuit igitur

[1] *Gen.* 2, 5—7; 18—23. — [2] *Sap.* 10, 1. — [3] *Act.* 17, 26. — [4] *Tract. in Jo.* 9, 10. — [5] *Gen.* 4, 14—17. — [6] *Gen.* 4, 25; 5, 3. — [7] *Gen.* 5, 4. — [8] Cfr. S. AUGUST. *De Civ.* 15, 16; *S. Th.* Suppl. 54, 3, c.

Caïn ét uxorem ducere, ét ultores sui criminis timere.

Civitas autem illa, quam Caïn non statim sed postea, et (ut praesumere licet) multiplicata tantum posteritate sua, aedificavit, modestissima esse potuit.

182. **Object 2.** Homines **a.** structura et colore corporis, **b.** lingua nimium differunt, quam ut ab uno protoparente orti esse queant.

Resp. Ad **a.** — Imprimis certum est, omnes omnino homines in plurimis tum quoad corpus, tum quoad animam inter-se maxime convenire [1]: eadem quantum ad rei summam structura anatomica, eaedem functiones physiologicae, eadem loquendi et ratiocinandi facultas, ubique aliquis saltem sensus moralis et religio. Hinc inter individua quarumlibet nationum perfecta et illimitata foecunditas. Nec ulla hucusque statui potuit generis humani in diversas stirpes divisio, quae, ipsis eruditis fatentibus, plus minusve arbitraria non fuerit. Notae enim, quas scientiarum cultores, ut fundamentum harum divisionum assumpserunt, neque satis essentiales sunt, neque in confinibus saltem satis discernuntur, neque omnibus et solis respectivae stirpis individuis satis propriae sunt.

Discrimina, quae revera adsunt (quantum ad cutis colorem, corporis staturam, cranii volumen et formam, capillorum conditionem), respectu characterum communium inferioris omnino momenti sunt, et ex variis vitae conditionibus: aëre, victu, labore, cet. paulatim induci ac demum haereditate stabiliri potuerunt. Varietates omnes revera ita inductas esse, saltem validissime suadetur, tum nonnullis exemplis historicis, tum inde quod omnes humani generis stirpes non fixis limitibus separantur, sed, aliam in aliam insensibiliter transeundo, unam seriem vere continuam constituant [2].

---

[1] Idem valet de hominibus, quorum reliquiae in terrae visceribus inventae sunt, in quantum scil. de horum statu et conditione ex corporum atque instrumentorum reliquiis judicare licet. — [2] Cfr. BEYSENS, *Over de eenheid van het menschelijk geslacht;* SCHANZ, *Apol.* I³ § 18, II; GUIBERT, *Les Origines*², p. 215 seq.

Ad **b**. — Linguas continuo mutari, unamque ex alia oriri omnes norunt; quare igitur non omnes ex una primitiva prodire potuerunt? Originaria linguae unitas hucusque scientifice probari nequit, et forsan numquam probabitur; quot enim linguae, quarum cognitio et comparatio ad hunc finem conduceret, nullo relicto vestigio interierunt! Quum nihilominus philologia comparata — scientia recens! majorem in dies inter diversissimas linguas affinitatem inveniat, et jam saepius cognationem inter eas, quae antea omnino alienas habebantur, ostendere potuerit, primitiva linguae unitas ex parte scientiae non solum possibilis, sed etiam positive probabilis dicenda est [1]. **183.**

Praeterea observatu dignum est, maximam quoad linguam diversitatem aliquando inveniri inter gentes, quae eumdem cutis colorem, aut eamdem cranii formam, cet. habent, et vice versa. Abyssinenses a parte coloris Nigritis, a parte cranii Caucasicis, a parte linguae Semitis adnumerandi essent.

Object 3. Monogenistae explicare nequeunt, qua ratione America et insulae Oceaniae incolas suos acceperint. **184.**

Resp. Homines non ita difficulter ex Asia in Americam pervenire potuerunt, trajiciendo fretum sat angustum Behringstraat, aut transeundo per insulas Aleuticas, quae Americam et Asiam fere conjungunt. Revera structurae corporalis, morum ac traditionum communitas communem originem probant. Insulae autem Oceaniae ex Malacca per insulas archipelagi Malaicae incolas suos accipere potuerunt, et accepisse videntur. Ceterum difficultates istae geographicae vix adhuc moventur [2].

Scholion. *De antiquitate generis humani*. — S. Scriptura nullibi completam chronologiam texuit; quae igitur vocatur chronologia biblica ex numeris ac genealogiis sparsim occurrentibus construitur. Nativitas Abrahae communi consensu **185.**

[1] Cfr. Beysens. l. c.; Schanz, *Apol.* I³ § 18, III. — [2] Cfr. Schanz., *Apol.* I³, § 18, p. 722, Stöckl, *Lehrb. d. Apoleg.* II. p. 71; *Kirchenlex.* in v. *Einheit d. Menschengesch.* IV, p. 308; *Staatslex.* in v. *Mensch*, III¹, p. 1258.

ponitur c. 2200—1900 a. C.; at de epocha ante Abraham maxima difficultas. Fontes scripturistici sunt praesertim genealogiae patriarcharum (*Gen.* 5 et 11); sed numeri annorum, quos patriarchae explevisse dicuntur, diversi sunt tum in textu hebraeo (cum quo consentit *Vulgata*), tum in versione LXX, tum in textu samaritano [1], neque definiri potest quaenam lectio ceteris praeferenda sit. Ex his aliisque numerorum differentiis factum est, ut s. Patres et antiquiores theologi in computando tempus ab Adam usque ad Christum saltem 2000 annos variaverint [2]. Praeterea plures exegetae suspicantur, genealogias patriarcharum non esse continuas, sed pro more orientalium artificiose constructas: *decem* patriarchae ante diluvium; iterum *decem* (?) post diluvium [3]. Quae cum ita sint, facile inferes, quaestionem ex Scriptura definiri non posse. Sed neque Ecclesia de re nostra quidquam judicavit; imo ipsa sui agendi ratione satis ostendit, se de chronologia parum curare. Ecclesia graeca sequitur numeros vers. LXX; idem fecit ecclesia latina, quamdiu introducta non erat Vulgata s. Hieronymi, quinimo etiam hodie *Martyrol. rom.* nativitatem Domini ponit a. 5199.

186. Si scientiae naturales consulantur, imprimis observandum

---

[1] Numerant . . . . . text. Samar. . text. Hebr. . versio LXX [Josephi] ab Adam usque ad diluvium. . . . a. 1307 . . . a. 1656 . . . a. 2256; a diluvio usque ad Abraham natam, a. 940 . . . a. 290 . . . a. 1170 (Cfr. HUMMELAUER, *Comm. in Gen.* p. 201 et 342). — [2] Anno 1738 DES VIGNOLLES (*Chronologie de l'histoire Sainte*) testatur, se ultra ducentas computationes comparasse, quarum infima habebat annos 3383, suprema vero annos 6984 (Apud ZAHM, *Bible, Science et Foi*, p. 291). — [3] Ita *S. Matthaeus* ab Abraham usque ad Christum numerat 3 × 14 generationes (1, 17). Legitur ibi „Joram genuit Oziam", inter quos omittuntur Ochozias, Joas et Amasias. Item *I Paral.* 26, 24 dicitur, quod „Subael, filius Gersom, filii Moysi" fuerit praepositus thesauri sub David; David autem et Moyses quatuor saeculis ab invicem separantur. Tacere nequeo, omissionem membrorum intermediorum cum modo, quo genealogiae patriarcharum *Gen.* 5 et 11 procedunt, difficulter admodum componi. Nihilominus LXX et *S. Lucas* (3, 36) inter Arphaxad et Sale memorant Cainan, quem Hebr. (cum *Vulg.*) et Samar. non habent (*Gen.* 11, 12—13).

est, longissimas saeculorum series, quas plures geologi et evolutionistae finxerunt, imaginationis foetus esse non scientiae.

Palaeontologia hominis vestigia ante epocham quaternariam nusquam invenit; cetera, quae ex hac scientia adducuntur, ita incerta sunt, ut nihil suadeant praeter id unum, hominem antiquiorem esse quam vulgata fert sententia. Linguisticae cultores asserunt, ortum et evolutionem linguarum explicari non posse, si ponatur c. 2300 a. C. obtinuisse diluvium anthropologice universale. Idem de origine diversarum stirpium humanitatis contendunt ethnographi. Majorem lucem quaestioni nostrae affundere videtur historia; si enim eruditos audias, vix non certo constat historiam Aegyptiorum ad annos fere 4000 a. C. ascendere; praeterea indubium videtur Assyrios et Chaldaeos aetate Aegyptum superare. Hinc concludendum foret, tum diluvium (nisi supponatur anthropologice partiale [1] longe ante tempus vulgo admissum contigisse, tum genus humanum saltem per 8000—10,000 annos exstitisse [2].

Concludendum putamus: quaestio de antiquitate generis humani ratione sui est profana, igitur de se et primario ad historiam pertinet, non ad theologiam. Quaerant igitur eruditi; quidquid ipsi ex suis fontibus protulerint ac revera probaverint, non erit contrarium vero sensui s. Scripturae. Interim vero interpretatio locorum Scripturae, qui ad antiquissimam chronologiam pertinant, incerta manet.

PROP. 3. **Animae singulorum hominum a Deo ex nihilo creantur.** **187.**

Doctrina in thesi proposita vocatur theoria creationis seu *creatianismus*, et opponitur tum *emanatismo*, tum *generatianismo*.

[1] Argumenta pro et contra universalitatem (tum geographicam tum imprimis) anthropologicam diluvii invenies apud HUMMELAUER, *Comm. in Gen.* p. 223 seq.; brevius apud SCHÖPFER *Gesch. d. A. T.* Ed. 3. p. 63 seq.; cfr. C. DE KIRWAN, *La localisation du déluge*, in *Revue Thom.* 1898-1899; ROBERT, *Chronologie Bibl.*, in *Rev. bibl.*, 1894. — [2] Cfr. SCHANZ. *Apol.* I³, § 19; et: *Das Alter d. Menschengesl.* 1896; SCHÖPFER, l. c. p. 82; STÖCKL, *Lehrb. d. Apol.* II. p. 55; GUIBERT, *Les Origines*, chap. 6; ZAHM, *Bible, Science et Foi*, 3me partie.

Emanatismus animas humanas cum substantia divina aliqua ratione identificat, asserendo eas esse aut particulas e divina substantia emissas, aut divinae substantiae modos accidentales, vel stadia evolutionis vel conscientiae centra [1]. Theoria emanationis est manifeste haeretica, et excluditur v. g. per professionem fidei LEONIS IX (a. 1050): „Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, credo et praedico" [2].

Generatianismus (seu *Traducianismus*) animam ex parentum substantia oriri et in prolem traduci docet. Duplici modo proponitur: vel ita, ut anima dicatur produci virtute seminis materialis, eo fere modo quo oriuntur animae belluinae: traducianismus materialis; aut ita, ut dicatur animam prolis immediate ex anima parentum oriri; traducianismus spiritalis, qui sicut olim uni vel alteri ex ss. Patribus, e. g. Augustino, ita saeculo elapso paucis quibusdam catholicis [3] ideo arrisit, quia putabant per illum facilius explicari peccatum originale.

Generatianismo affines sunt: **a.** Sententia Frohschammer, secundum quam parentes, virtute a Deo accepta, animam prolis producerent per creationem secundam [4]; **b.** sententia Rosmini, juxta quem virtute seminis traduceretur in foetum anima vegetativa et sensitiva, quae postea illustratione quadam divina fieret intellectiva [5].

188. *Creatianismus* in thesi enuntiatus, licet numquam fuerit solemni definitione ex professo sancita, saltem est *veritas catholica;* plures eam dicunt fidei proximam. Revera apertissime eam commendant aut etiam continent plura magisterii ecclesiastici decreta, e. g. professio fidei Leonis IX, jam laudata; libellus ad Armenos Benedicti XII (a. 1339) in quo

---

[1] Cfr. BEYSENS, *Anthrop.* p. 55; SANSEVERINO, *Anthrop.* n⁰ 168 seq. — [2] DENZ. *Ench.* n⁰ 296. — [3] E. g. KLEE, *Kath. Dogm.* II, p. 304 (Ed. 1835.) — [4] Liber FROHSCHAMMER *Ueber den Ursprung d. menschl. Seelen*, a. 1857 in *Indicem* relatus est. — [5] Doctrina haec, quae *theoria conversionis* audit, a. 1889 rejecta est a *S. Cong. Inquis.* cfr. DENZ n⁰ 1755 et 1756. — Similem theoriam jam suo tempore impugnaverat S. Thomas (*S. Th.* I. 118, 2, ad 2.).

rejicitur doctrina „quod anima humana filii propagatur ab anima patris sui, sicut corpus a corpore" [1]; decisio conc. later. V, ubi edicitur, quod „anima pro corporum quibus infunditur multitudine ... multiplicanda est" [2]; denique constitutio: *Sollicitudo omnium* Alexandri VII (a. 1661), quae tuetur doctrinam: „animam [b. Virginis] in primo instanti creationis et infusionis in corpus" a labe originali fuisse immunem [3].

Probatur. 1° Ex *s. Scriptura.* — „Qui [Deus] finxit singulatim corda eorum" [4]. „Memento creatoris tui ... antequam revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum" [5]. „Ignorat [idololatra] qui se finxit, et qui inspiravit illi animam, quae operatur, et qui insufflavit ei spiritum vitalem" [6]. „Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos; non multo magis obtemperabimus Patri spirituum et vivemus?" [7]. **189.**

His textibus **a.** certo excluditur emanatismus, doceturque animas hominum esse substantias creatas; **b.** saltem valde suadetur, singulas animas immediate a Deo creari, non vero sub divino concursu ex parentibus generari. Dicimus: „valde suadetur"; fatendum enim est, Scripturam rem non plene conficere, quum contra argumenta ex textibus allatis difficultates non omnino futiles moveri queant.

2° Ex *Traditione.* **a.** Animam „non partem Dei esse, sed creaturam, nec de Deo natam, sed ab eo factam" [8], universa traditio clamat. **b.** Quantum ad immediatam singularum animarum creationem, verum est quosdam ex ss. Patribus, praesertim latinis, dubios haesisse aut in traducianismum spiritalem inclinasse [9]; nihilominus plerique Patres et scholastici omnes

[1] DENZ. n° 1794. — [2] DENZ. n° 621. — [3] In schemate pro conc. vatic. praeparato habetur, quod omnes homines ex Adam „naturali generatione descendant, carne de carne nascente, cui anima a Deo in singulis de novo creata infunditur" (*Coll. Lac.* VII, p. 555). — [4] *Ps.* **32**, 15. — [5] *Eccles.* **12**, 7. — [6] *Sap.* **15**, 11. — [7] *Heb.* **12**, 9. — [8] S. AUGUST. *Ep.* 190, c. 1, n. 4. — [9] E. g. S. AUGUST., *Ep.* 166 et 190; S. FULGENTIUS, *De verit. praede-*

creatianismum docuerunt [1]. Exemplo sunt S. GREG. NAZIANZ: „Non totius hominis homo pater est, ut dici solet, sed tantum carnis et sanguinis, quorum utrumque peribit. Anima autem Dei omnipotentis spiraculum est, extrinsecus incidens in terrestre figmentum" [2]; et PETRUS LOMBARDUS: „Catholica ecclesia animas docet in corporibus infundi et infundendo creari" [3].

Ceterum nec Augustinus, et qui eum secuti sunt, dubitassent, si difficultatem ex traductione peccati originalis contra theoriam creationis petitam solvere potuissent. Scribit siquidem S. AUGUSTINUS ad b. Hieronymum creatianismi defensorem: „Illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam [peccati originalis] non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit tua" [4].

190. 3° Ex *ratione*. **a.** Emanatismus simplicitatem et immutabilitatem divinae substantiae tollit. **b.** Traducianismus tum materialis, tum spiritalis repugnat; materialis quidem, quia anima intellectiva, utpote materiam transcendens, nequit ex materiali semine generari; spiritalis vero, quia anima prolis nullo modo possibili ex anima parentum oriri potest: neque per abscissionem alicujus partis, neque per productionem ex nihilo, neque per productionem ex praejacente materia. Relinquitur ergo, ut anima a Deo creetur [5].

191. *Object.* Animas a parentibus generari, docet: **a.** *Scriptura:* „Tulit [Abram] Sarai... et Lot... et animas, quas fecerant in Haran, et egressi sunt ut irent in terram Chanaan" [6]. „Cunctae animae... quae egressae sunt de femore illius... sexaginta sex" [7]. **b.** *Ratio*, quia si animae a Deo creantur, parentes dicendi sunt, non hominem generare sed solum corpus.

Resp. Ad **a.** — In textibus allatis ponitur pars pro toto,

---

stinat. III, 18; S. GREG. M. *Epp.* l. IX *ep.* 52. Solus TERTULLIANUS (*De Anima*, c. 27 et 36) traducianismo vere adhaesisse videtur. — [1] De quo cfr. *Zeitschrift f. k. Theol.* 1883. p. 197. — [2] *In laud. virginit.* v. 392—395. — [3] *Sent.* II, d. 18, n° 8. — [4] Ep. 166, n° 25. — [5] Cfr. *S. Th.* I, 118, 2; *De Pot.* 3, 9. — [6] *Gen.* 12, 5. — [7] *Gen.* 46, 26.

anima pro homine; eodem modo quo et nos loqui solemus de numero animarum alicujus pagi vel urbis.

Ad **b.** — Homo est compositum substantiale ex anima et corpore; qui igitur actione sua causa sunt, ut tale compositum exsistere incipiat, recte dicuntur generare hominem. Parentes autem e sua substantia producunt materiam ita dispositam, ut ei secundum legem naturae anima rationalis necessario infundenda sit; ideo actione sua generativa vere causa sunt, ut novum compositum rationale esse incipiat. Hinc eodem jure dicuntur generare hominem, quo interimere hominem dicitur, qui, infligendo corpori vulnus letale, causa est ut compositum humanum dissolvatur.

Scholion. *Animae creantur quando corporibus infunduntur.* — Plures etiam inter christianos putarunt, omnes singulorum hominum animas ab initio creatas fuisse, ideoque corporibus suis praeexstitisse: *Praeexsistentianismus.* Et *alii* quidem (ut Origenistae et Apollinaristae) docuerunt, animas, ab initio ut spiritus puros creatas, ob aliquod peccatum commissum corporibus esse inclusas; quod est aperte haereticum [1]. Praeexsistentianismus ita acceptus, inducendo peccatum actuale ante nativitatem commissum, doctrinam de labe originali corrumpit et contradicit Scripturae, de Esau et Jacob asserenti, quod antequam nascerentur, nil boni aut mali egissent [2]. Praeterea in hac sententia aegre salvatur doctrina catholica de anima forma corporis; quomodo enim anima, si natura sua esset spiritus purus, vera forma corporis fieret? **192.**

Alii pauci (e. g. Nemesius, saec. IV) solam praeexsistentiam animarum admittebant, absque commento de peccato tunc commisso. Sed ne sic quidem praeexsistentianismus sustineri potest, nam **a.** nulli prorsus fundamento nititur; **b.** in-

[1] Cfr. DENZ. n⁰ 107 et 187. — Canones quae n⁰ 187 seq. recensentur non sunt ipsius conc. constantinop. II, a. 553 (oecumenici V). Ab imperatore Justiniano nonnullorum episcoporum judicio et approbationi subjecti fuerunt a. 553 ante synodi inchoationem. Ita FR. DIEKAMP, *Die Origen. Streitigkeiten.* u. s. w. (1899). — [2] *Rom.* 9, 11.

tellectui catholico adversatur [1]; c. philosophice magnis difficultatibus subjacet. Etenim anima „sine corpore exsistens non habet suae naturae perfectionem; non fuit autem conveniens, ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab his quae sunt praeter naturam" [2]. Deinde, si anima ante suam cum corpore conjunctionem exsistebat, aut aliquid operabatur aut nihil; non prius, nam qui nondum natus est, nihil boni aut mali egit; non alterum, nam quis animam intellectivam „in modum glirium immobilem torpentemque" exstitisse feret [3].

193. Omnino igitur tenendum est, animam *simul infundi et creari*, Deum eam infundendo creare. Si vero quaeritur quonam vitae embryonalis momento infundatur, antiquiores communius putabant, id fieri aliquas hebdomadas post conceptionem [4]; recentiores communius tradunt, fieri in ipso conceptionis memento. Quaestio haec theologice plane libera est, neque ex fontibus fidei solvi posse videtur. Argumenta vero rationalia in utramque partem videntur probabilia.

CAPUT II

DE HOMINIS ELEVATIONE AD STATUM SUPERNATURALEM [5]

Benignissimus Deus protoparentibus non solum dedit naturam, ceterarum creaturarum visibilium naturis longe perfectiorem, sed insuper eos donis gratuitis, tum simpliciter supernaturalibus, tum praeternaturalibus, cumulavit.

194. PROP. 1. **Protoparentes gratia sanctificante donati fuerunt.** Agitur de donis simpliciter supernaturalibus. „Donis", dico, nam gratiam sanctificantem necessario comitantur virtutes infusae et dona Spiritus Sancti. Ceterum duo sunt observanda. **a.** Ponendo, primos homines gratia sanctificante insignitos

---

[1] Cfr. e. g. DENZ. n⁰ 621: „multiplicanda". — [2] *S. Th.* I, 118. 3. — [3] Cfr. S. HIERON. *c. Joem. Hirosol.* 20. — [4] Cfr. v. g. S. THOMAM, *S. c. G.* II, 89 et *S. Th.* I, 118, 2. — [5] Cfr. SCHEEBEN, *Mysterien des Christenthums*, cp. 3.

fuisse, implicite asserimus, eos ad finem supernaturalem aeternae beatitudinis fuisse destinatos; eo ipso enim quod aliquis fit filius Dei adoptivus, heres regni coelestis constituitur: „Si autem filii et heredes" [1]. Quum autem finis et media supernaturalia ordinem supernaturalem constituant, probatione theseos efficitur, *protoparentes ad ordinem supernaturalem fuisse evectos.* — **b.** Thesis intellegenda est de Adam, ut erat caput generis humani; accepit enim gratiam sanctificantem non sibi tantum, sed universo generi suo: ita ut nisi peccatum supervenisset, gratia simul cum natura in omnes ejus posteros transiisset. Hinc in Adam *genus humanum ad statum supernaturalem elevatum fuit* [2].

PROP. est *fidei dogma* ex CONC. TRID.: „Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradisi fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, . . . a. s." Mox additur: Adam „acceptam a Deo sanctitatem et justitiam . . . nobis etiam perdidisse" [3]. Nobis autem gratiam perdere nequivisset, nisi eam prius etiam nobis, i. e. generi suo accepisset.

Probatur. 1° Ex *Scriptura.* — **a.** Argumentum princeps **195.**
petitur ex iis, quae N. T. docet de opere Christi. Opus Christi erat restituere statum, a quo in Adam cecideramus; atqui Christus nobis restituit filiationem Dei adoptivam: gratiam sanctificantem, et spem vitae aeternae; ergo in Adam gratiam sanctificantem, cet. perdideramus; id autem omnino supponit, Adam ét sibi ét posteritati suae gratiam sanctificantem aliquando habuisse. *Major* probatur ex oppositione gratiae Christi ad peccatum Adae [4]; ex eo quod opus Christi vocetur „reconciliatio" [5], „redemptio" [6], „renovatio" [7], „nova

[1] *Rom.* 8, 17. — [2] Cfr. *S. Th.* I, 100, 1. — [3] S. V. can. 1 et 2. — Terminus „*sanctitas et justitia*" ex usu loquendi ecclesiastico primario et principaliter designat filiationem Dei adoptivam, cujus causa formalis est gratia sanctificans. Ceterum in can. citatis etiam dona praeternaturalia, aut saltem donum integritatis comprehendere videtur. — [4] *Rom.* 5. 12 seq. — [5] *Rom.* 5, 11; *II Cor.* 5, 18—19. — [6] *Rom.* 3, 24—25; *Ephes.* 1, 7. — [7] *Ephes.* 4, 23.

creatio" [1], „recapitulatio" [ἀνακεφαλαίωσις] [2], ipseque Christus dicatur „novus Adam" [3].

Minor constat v. g. ex *Eph.* 2, 3—6; *II Petr.* 1, 4.

b. Praeterea afferri solent haec effata: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram" [4]; et „Inveni, quod fecerit Deus hominem rectum" [5]. — Verissimum est, ss. Patres occasione horum textuum frequenter edicere, quod primus homo praecipue per gratiam sanctificantem imaginem Dei referebat, et quod per eamdem supernaturalem gratiam rectus erat, sed si quaeras, num ex iis locis per se sumptis gratia Adae stricte probetur, res saltem incerta est.

Afferunt denique verba S. PAULI: „Renovamini spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis" [6]. — Quodsi Apostolus hic per „novum hominem" intellexit Adamum, textus directe concludit; si vero per „novum hominem" aut Christus, aut ipse justus designatur, indirecte tantum probat, quatenus n. p. justificatio vocatur renovatio, i. e. restitutio in statum primitivum. Et ita argumentum recidit in probationem sub **a.** allatam.

196. 2° Ex *ss. Patribus.* — S. IRENAEUS ita Adamum loquentem inducit: „Eam, quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam" [7].

TERTULLIANUS: „Restituitur homo [per baptismum] Deo ad similitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei fuerat . . . Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum" [8].

S. CYPRIANUS: „Adam . . . in mortem indicit, nec acceptum divinitus gratiam servavit" [9].

S. CYRILLUS ALEX. „Adam fuit in paradiso quo usque gratiam creatoris, Spiritu Sancto inhabitante, servavit" [10].

S. AUGUSTINUS: „Hanc imaginem in spiritu mentis impres-

---

[1] *II Cor.* 5, 17. — [2] *Ephes.* 1, 10. — [3] *I Cor.* 15, 45. — [4] *Gen.* 1, 26. — [5] *Eccles.* 7, 30. — [6] *Ephes.* 4, 23—24. — [7] *Adv. Haer.* III, 23, 5. — [8] *De Bapt.* 5. — [9] *De bono patient.* 19. — [10] *In Jo.* l. II, c. 3.

sam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiae" [1].

Scholion. *Quandonam protoparentes gratiam sanctificantem acceperint?* — Quamvis plures scholastici cum Lombardo [2], s. Bonaventura [3], cet. putaverint, protoparentes gratiam sanctificantem non statim in sua creatione accepisse, sed primum seipsos ope gratiae actualis ad eam accipiendam debuisse disponere, sententia opposita, quam sequitur s. Thomas [4], inter theologos recentiores longe communior est, et pluribus ss. Patrum effatis commendatur [5]. Conc. trid. quaestionem dirimere nolens, verba schematis: „in qua creatus fuerat", mutavit in „in qua constitutus fuerat" [6]. **197.**

PROP. 2. **Protoparentes praeternaturali perfectione in ordine tum morali, tum physico nobilitati fuerent.** **198.**

PROP. agit de iis donis, quae etsi gratuita sint, creaturam non elevant ad ordinem divinum, non involvunt quamdam naturae ac vitae divinae participationem: dona relative supernaturalia, seu *praeternaturalia*, quibus homo ultra debitum sed intra suum ordinem perficitur, sive quoad agere in genere morum, sive quoad esse in ordine physico. Dona illa sunt numero tria: *perfecta integritas,* quae hominem perficit in ordine morali, *immortalitas corporis* et *summa felicitas*, quae illum exornant in ordine physico.

Quod supra de donis absolute supernaturalibus diximus, etiam hic applicatur: Adam perfectiones praeternaturales accepit ut erat principium generis humani, ergo non tantum pro seipso, sed *pro universa sua posteritate.*

Tradita brevi explicatione, de singulis donis praeternaturalibus ostendemus: 1° ea facultatem et exigentiam naturae excedere, 2° ea revera impertita fuisse protoparentibus, et quidem 3° pro tota illorum posteritate.

---

[1] *De Gen. ad litt.* VI, 27, 38. — [2] *Sent.* II, d. 24. — [3] *In II Sent.* d. 29. a. 2, q. 2. — [4] *S. Th.* I, 95, 1. — [5] Cfr. v. g. PESCH, *Prael. Dogm*, III, n° 180. — [6] Cfr. PALLAVICINI, *Hist. du Conc. de Trente*, l, VII, c. 9, n° 1.

I. Integritas seu immunitas a concupiscentia [1]

199. 1. **Notio.** — *Concupiscentia* (propie dicta seu sensibilis) consistit in eo, quod appetitus sensitivus moveatur in objectum sensibile, rationi non conveniens, ante vel contra imperium rationis, et ita voluntatem ad malum morale sollicitet [2]. Hinc difficilis illa pugna, quam omnes experimur, inter appetitum sensitivum et voluntatem. Immunitas igitur a concupiscentia est *illa conditio, in qua appetitus inferior perfecte subest rationi, ita ut nec praeveniendo nec resistendo voluntatem a bono retardet, aut ad malum impellat.*

Concupiscentia, quum alliciat ad peccandum, fomes peccati dicitur; hinc immunitas a concupiscentia vocatur *carentia fomitis.* Ablata concupiscentia, inferiores animi vires rationi perfecte subduntur, ideoque rectissime ordinatae existunt, hinc immunitas a concupiscentia vocatur *rectitudo.* Per carentiam concupiscentiae homo magnam acquirit facilitatem ad bonum faciendum et malum vitandum, ablata enim pugna domestica, qua veluti in duas partes scinditur, integris viribus bonum morale prosequi potest; hinc nomen *integritatis.*

Concupiscentiam sensibilem sponte sequitur concupiscentia spiritualis, qua ratio inferior retardat rationem superiorem [3], quatenus n. p. ipse intellectus et voluntas rebus terrenis ac temporalibus ita implicantur, ut non nisi difficulter ex iis ad mere spiritualia, aeterna ac divina ascendant. Hinc immunitas

[1] Cfr. *S. Th.* I, 95, 1 et 2; I, II, 82, 3. — [2] Distinguenda est concupiscentia actualis et habitualis. Nomine concupiscentiae *actualis* intelleguntur ipsi motus inordinati (ante vel contra voluntatis imperium) appetitus sensitivi in rem sensibilem, lege aeterna prohibitam. Concupiscentia *habitualis* est illa conditio, in quo hujusmodi motus inordinati oriri possunt. — Concupiscentia, prout in praesenti a nobis sumitur, complectitur omnes motus inordinatos inferioris appetitus in bonum sensibile cujuslibet speciei. Sciendum tamen est, vocem concupiscentiae frequenter adhiberi in sensu magis restricto, ad significandam scil. proclivitatem et motus inordinatos in materia sexti praecepti tantum (concupiscentia carnalis). — [3] Ratio *inferior* = intellectus (et voluntas), quatenus intendit rebus temporalibus; ratio *superior* = idem intellectus (et voluntas), quatenus intendit rebus aeternis. Cfr. *S. Th.* I, 79, 9.

a concupiscentia etiam importat perfectam subjectionem rationis inferioris ad rationem superiorem, i. e. expeditam facilitatem considerandi, aestimandi, prosequendi res aeternas ac divinas. Et hoc sibi volunt doctores scholastici, quando dicunt, in statu primitivo sensum perfecte subjectum fuisse rationi et *rationem Deo* (primae veritati et summo bono).

Integritatem protoparentibus datam fuisse, eamque naturam excedere, tenendum est propter damnationem (in globo) prop. 26 Baji: „Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio" [1]. Cfr. etiam Decr. *Comm. pontif. de Re biblica* diei 30 Junii 1909.

2. Praeternaturalitas. — In homine, synthesi animae et corporis, duo sunt appetitus, facultates vere distinctae, utraque proprium objectum habentes. Atqui hoc posito naturale est, **a.** appetitum sensitivum aliquando moveri in objectum sensibile lege prohibitum *ante* seu praeter imperium rationis. Sane movetur quoties objectum, sive illud rationi conveniat, sive non, praesto est; et objectum praesto esse potest, antequam ratio deliberare potuerit, quum res prius sensu percipiatur, deinde tantum intellectu apprehendatur. Naturale est **b.** appetitum sensitivum aliquando moveri *contra* imperium rationis; etsi enim voluntas dominium quoddam in inferiorem appetitum habeat, non potest semper ac statim motus ejus compescere, quum phantasia, quae directe appetitum sensitivum excitat, multum pendeat a dispositione corporali externisque adjunctis, rationi haud semper subjectis. Hinc, supposita sufficienti advertentia, voluntas motibus sensitivis inordinatis, resistere quidem semper potest, sed eos praevenire aut statim extinguere saepe non potest. Denique naturale est **c.** motum appetitus semel excitatum voluntatem sollicitare ad sibi consentiendum, uterque enim appetitus in eadem anima radicatur. **200.**

[1] Cfr. Denz. n⁰ 906.

Concupiscentia, itaque quamvis prae humana natura, ut est rationalis, sit imperfectio, sponte sequitur constitutionem naturae nostrae ex principio materiali ac spirituali; ideoque homini naturalis est. Unde patet immunitatem ab ea esse praeternaturalem.

201. 3. **Exsistentia.** — Protoparentes a concupiscentia immunes fuisse probatur:

1° Ex *S. Scriptura.* „Erat autem uterque nudus, Adam scil. et uxor ejus, et non erubescebant" [1]. Unde sic. Concupiscentia maxime omnium viget circa rem veneream: quare si protoparentes in hac materia a motibus inordinatis immunes fuerunt, ab omni concupiscentia liberi fuisse censendi sunt. Atqui Adam et Eva de sua nuditate non erubescebant, non utique quia infantes erant aut hebetes [2], sed quia nullam causam erubescendi habebant, i. e. quia motus inordinatos minime experiebantur.

Accedit doctrina s. Pauli, qui concupiscentiam aliquando peccatum vocat, „quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat" [3]. Atqui si concupiscentia ex peccato est, ante peccatum non affuit.

2° Ex *Traditione.* S. AUGUSTINUS: „Non pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis, repugnantem legi mentis suae . . . Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refraenandum" [4]. Quare *Cat. conc. trid.:* „Omnes motus animi atque appetitionis [Deus] ita in eo [Adam] temperavit, ut rationis imperio numquam non parerent" [5].

202. 4. **Transfusio.** — Integritatem Adae datam fuisse non ut privilegium personale, sed ut donum in posteros transfundendum, certum est. Quum enim concupiscentia in nobis dicatur esse ex peccato, utique sine peccato Adae in nobis non fuisset [6].

Corollarium. Qua ratione Deus protoparentes a concupiscen-

---

[1] *Gen.* 2, 25. — [2] Cfr. *Gen.* 1, 28; 3, 7. 11. — [3] CONC. TRID. S. 5, can. 8; cfr. *Rom.* 7, 14—17. — [4] *De Gen. ad litt.* l. XI, c. 1, n. 3; cfr. *De Civ.* l. XIV, 17. — [5] P. 1, c. 2, n° 19. — [6] Cfr. *Conc. trid.* l. c.; *S. Th.* I, **100**, 1 ad 2

tia immunes reddiderit, fides non docet. Censet Suarez [1], Deum id praestitisse partim per specialem providentiam externam (qua cavit, ne objecta sensum percellerent eo modo, quo motus inordinatos excitassent), partim per habitus infusos. Quod certe credibile est, nam etiam nunc habitus, longo virtutis exercitio acquisitus, dominium rationis super appetitum inferiorem magnopere auget.

II. Corporis immortalitas, seu verius: immunitas a necessitate moriendi [2]

203. 1. **Notio.** — Primi homines, quamvis haberent corpus natura corruptibile, si a peccato abstinuissent, divino beneficio a morte servati fuissent, ac proinde expleto probationis stadio, absque separatione animae a corpore, ad gloriam fuissent assumpti. Rectissime igitur theologi, duce praesertim Augustino, hoc privilegium vocant *immunitatem a necessitate moriendi*, seu posse non mori; a libera enim protoparentum electione pendebat, utrum mortem gustarent necne.

Exsistentia hujus privilegii est *dogma fidei* ex CONC. MILEV. II (a. 416): „Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore . . . a. s." [3]. De ejus praeternaturalitate constat ex damnatione prop. 78 Baji: „Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio" [4].

204. 2. **Praeternaturalitas.** — Corpus, uptote compositum, natura sua corruptibile est, et aliquando corrumpitur; neque ratio est, quare Deus teneretur hanc dissolutionem impedire. Igitur si eam reapse impedit, id praeter naturam est.

3. **Exsistentia.** — Probatur ex *S. Scriptura:* „Deus creavit hominem inexterminabilem [ἐπ' ἀφθαρσίᾳ]; invidia autem diaboli

---

[1] *De Op. sex. dier.* l. III, c. 12, n⁰ 11 seq. — [2] Cfr. *S. Th.* I, 97. — [3] DENZ. n⁰ 65; cfr. *Conc. trid.* S. 5, can. 1 et 2. — [4] DENZ. n⁰ 958, cfr. n⁰ 1380.

mors introivit in orbem terrarum" [1]. — „In quocumque die comederis ex eo, morte morieris" [2]. — „Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt" [3].

4. **Transfusio.** — Immunitatem a necessitate moriendi in posteros transfundendam fuisse, certum est, teste enim S. Paulo, mors per peccatum prima hominis non solum intravit, sed etiam in omnes homines pertransiit.

205. *Corollarium.* Docent theologi immortalitatem primo homini non fuisse collatam „per aliquam dispositionem [superadditam] corpori inhaerentem", qualis corporibus post resurrectionem inerit, sed partim per specialem Dei protectionem, causas externas mortis praevertentem, partim per vim quamdam praeternaturalem in anima residentem, partim per lignum vitae, ad modum medicinae corpus a senectute praeservans [4]. Hinc explicatur quomodo SS. Patres dicere potuerint v. g. primum hominem fuisse mortalem sed non moriturum, nam „mortalis erat conditione corporis animalis [non habebat enim corpus spiritale, glorificatum], immortalis autem beneficio conditoris" [5].

III. Perfecta felicitas seu immunitas a dolore.

206. 1. **Notio.** — Intellegitur generatim status felicissimus, in quo homo nullum malum physicum subire cogebatur, et omnia bona praesto erant, ad vitam suavissimam ducendam. Quod si primus homo dicitur fuisse impassibilis, id eodem modo intellegendum est ac immortalitas, n. p. quod *potuerit nihil pati* [6].

---

[1] *Sap.* **2**, 23—24. — [2] *Gen.* **2**, 17. — Alii explicant: morti obnoxius eris (Calmet, Hoberg); alii putant, Deum mortem illico secuturam minitatum esse, sed exsecutionem sententiae benigne distulisse (Hummelauer); alii aliter. — [3] *Rom.* **5**, 12. — [4] Cfr. *S. Th.* I, **97**, 1—3. — [5] S. AUGUST. *De Gen. ad litt.* VI, **25**, 36. — [6] *S. Th.* I, **97**, 2, c. et ad 4.

2. Praeternaturalitas. — Jam vidimus, hominem naturaliter concupiscentiae et corruptioni subjacere, hinc multa mala physica: afflictiones et morbi sponte fluunt. Deinde minime desunt agentia naturalia, quae mala physica inferre possunt, et nisi divinitus impediantur, revera aliquando inferent. Evidens autem est, Deum non teneri ad immutandum ordinem physicum, ut hominem ab hujusmodi malis praeservet. Ergo imperturbata felicitas non est naturalis hominis conditio. Res confirmatur ex damnatione prop. 73 Baji: „Omnes ejus [B. Virginis] afflictiones in hac vita, sicut et aliorum justorum, fuerent ultiones peccati actualis vel originalis" [1]. Si enim dentur quaedam afflictiones, quae non infliguntur in ultionem alicujus peccati, necesse est dicere, quod sequantur conditionem naturae.

3. Exsistentia. — Res magna parte fluit ex donis supra **207.**
probatis. Libertas a concupiscentia multos dolores, animi praesertim, excludit; corporis immortalitas ex quadam consequentia morbos tollit. Deinde, teste Scriptura, Deus protoparentibus hortum amoenum praeparaverat [2], ubi nulla re indigebant, jucundo tantum facilique labori vacabant [3], animalibus dominabantur [4], et a doloribus, secus naturaliter sequi natis, liberi erant [5]. Merito igitur AUGUSTINUS: „Vivebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus; vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitae ne illum senectus dissolveret. Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpere ullas molestias ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne

---

[1] DENZ. n⁰ 953, cfr. 952. — [2] *Gen.* 2, 8. — Horti *amoenitatem*, ex tota Scripturae descriptione, non ex nomine „paradisi voluptatis" desumimus. In hebraeo legitur „hortus in Eden"; Eden vero est nomen regionis (*Gen.* 4, 16). Versio Vulgatae inde explicatur, quod vox עֵדֶן delicias significat. Forsan regio horti ob amoenitatem suam nomen Eden retinuit. — [3] *Gen.* 2, 15—16 coll. cum. 3, 17—19. — [4] *Gen.* 1, 28; *Eccli.* 17, 4. — [5] *Gen.* 3, 16.

sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum, gaudium verum perpetuebatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta; atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine dolore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat invitum" [1].

4. **Transfusio.** — Etiam summa haec vitae felicitas ex protoparentibus in posteros transiisset: S. THOMAS: „Habet enim hoc traditio fidei, quod nullum nocumentum creatura rationalis potuisset incurrere, neque quantum ad animam, neque quantum ad corpus, neque quantum ad aliqua exteriora, nisi peccato praecedente" [2].

208. Scholion. 1. *Nexus inter gratiam sanctificantem et dona praeternaturalia.* — Certum est, dona praeternaturalia neque esse ipsam gratiam sanctificantem, neque necessario cum illa connecti, secus enim etiam nunc in homine justificato adesse deberent. Nihilominus aliqua ratione cum gratia cohaerebant, ut inde potissimum patet, quod, ablata per peccatum gratia, simul fuere deperdita. Censent autem theologi, gratiam sanctificantem fuisse veluti fundamentum aliorum donorum, quae consideranda sunt, „tamquam *auxilia et ornamenta*, illi adjuncta ad perfectius vivendum et operandum secundum justitiam, et sine defectu" [3]. Decebat siquidem naturam humanam, ad originalem illam atque illibatam cum Deo amicitiam elevatam, uberrime dotari iis omnibus, quae ad vitam filio adoptivo Dei dignam perfectissime ducendam conferebant.

Scholion 2. *De conditione posterorum Adae, in hypothesi quod protoparentes non peccassent.* — Si Adam mandatum

[1] *De Civ.* 14, 26. — [2] *De Malo* 1 4, c. — [3] SUAREZ, *De Op. sex dier* l. III, c. 20, n⁰ 21.

Dei in paradiso fideliter observasset, gratiam et dona praeternaturalia in omnes suos posteros simul cum natura transfudisset. Generatio ex Adam ex positiva ordinatione Dei fuisset veluti causa instrumentalis traductionis gratiae ac donorum in reliquos homines, eo fere modo, quo nunc baptismus causa instrumentalis justificationis nostrae exsistit. Qualis de cetero, in hac hypothesi fuisset status et conditio generis humani revelatio non docet, et quum res fere unice ex libera Dei dispositione pendeat, a nobis sciri nequit. Unum est, quod maxima saltem cum probabilitate sententia communis tenet, n.p. singulis hominibus stadium quoddam probationis perficiendum fuisse, in quo gloriam sibi mereri debuissent, sed et gratiam sibi perdere potuissent [1]. Qui alias theologorum in hac materia conjecturas desiderat, adeat v. g. SUAREZ, *de Op. sex dier.* l. V.

Nonnulli theologi opinati sunt, in hypothesi servatae originalis innocentiae exclusam fuisse privatam possessionem aut quarumlibet rerum [2], aut saltem rerum immobilium [3]. Argumenta neutrum evincunt. Divisio tamen dominiorum in illo statu longe alia fuisset ac nunc: nemo bonis ad felicem vitam necessariis caruisset, nemo duro labori adstrictus fuisset, multa mansissent communia. Patres autem qui aliquando dicunt, „meum et tuum, frigidum verbum" a peccato originem habere, forte non tam privatas possessiones, quam historicum divisionis modum et usum inhumanum bonorum privatorum excludere voluerunt. Ceterum, etsi putaveris cum primitivo statu magis quadrare indivisam bonorum communionem, nullatenus sequitur, divisionem dominiorum esse contra primam intentionem juris naturalis. Ut enim dijudicetur, quid juri naturali per se conveniat, quid non, considerandus est status naturae purae, non vero status primitivus indebitae perfectionis.

Scholion 3. *De mira scientia primi hominis.* — Supra **209**.

[1] Cfr. S. AUGUST, *De Civ.* 14, 10; S. THOM. *S. Th.* I, 100, 2; SUAREZ, *De Op. sex dier.* l. V, c. 9; HEINRICH, *Dogm. Theol.* VI. § 312, IV. — [2] SCOTUS, *In IV Sent.* d. 15, q. 2. — [3] SUAREZ, l. c. c. 7, n. 17—18.

egimus de donis naturae humanae in protoparentibus collatis, restat ut pauca dicamus de privilegio personali Adae, n. p. de dono scientiae. Intellegitur scientia *rerum naturalium*, quae enim protoparentibus revelata fuerunt mysteria, fide credenda, ad statum stricte supernaturalem pertinent, ac proinde sub priori thesi quodammodo comprehenduntur.

Adam mox creatum *insignem habuisse scientiam*, theologi colligunt ex Scriptura: „Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae et universis volatilibus coeli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipsum est nomen ejus" [1]. Nimium videtur ex his verbis concludere, Adam omnium animalium naturas plene perspectas habuisse. Nihilominus omnino supponendum est, nomina imposita fuisse convenientia, i. e. ea animalium indolem, formam, usum aliqua ratione manifestasse. Ut autem plurimis animalibus hujusmodi nomina possint imponi, scientia sat ampla requiritur. Porro si protoparentes tanta cognitione circa animalia erant instructi, praesumendum est, eos pro sui status conditione etiam in aliis, e. g. religione et lege naturali, ratione prolis educandae, terram colendi, cet. uberrime institutos fuisse. Ceterum magisterium ecclesiasticum in hac materia nihil umquam edixit.

---

[1] *Gen.* 2, 19. — Ex iis, qui in explicando hexaëmero theoriam visionis sequuntur, G. HOBERG (*Die Genesis*, p. 34—36) opinatur adductionem animalium ad Adam in visione tantum contigisse, et proprie significare eum actum, quo Deus effecit, ut Adam animalia mente consideraret, illorum indolem ac usum disceret et hanc suam cognitionem aptis nominibus exprimeret. Generatim visiones exhibebantur eo fine, ut Adam convenienti scientia de rebus tum religiosis ac moralibus, tum profanis, instrueretur. Vides etiam in hac sententia salvari scientiam satis eximiam, et quoad modum supernaturalem. — Critici, post Cajetanum, ponunt adductionem animalium et impositionem nominum non esse nisi symbola, quibus doceamur, hominem recens creatum plenum habuisse rationis usum, eumque brutis animalibus dominatum esse. Cfr. v. g. LAGRANGE, in *Rev. Bibl.* 1897, p. 348 et 364. Quo admisso argumentum in favorem scientiae quoad modum supernaturalis multum infirmatur quidem, sed non penitus aufertur.

Scientia primi hominis entitative non differebat a nostra; erat quoad substantiam naturalis, sed *quoad modum* acquisitionis *supernaturalis*, nam si naturali ratione comparanda fuisset, Adam nonnisi paulatim et post longas ac varias investigationes ad eam pervenire potuisset. „Adam, ita S. CYRILLUS ALEX., non tempore sicut nos sapientiam videtur consecutus, sed in primo statim ortus sui initio perfecta intellegentia praeditus cernitur" [1]. Fuit itaque scientiae per accidens infusa, per species a Deo immediate inditas et per confortationem luminis intellectivi ad recte utendum illis speciebus.

Quanta fuerit Adae scientia definire nequimus. Nonnulli Patres et antiquiores praesertim theologi eam summopere efferunt [2]. Generatim dici potest, primum hominem accepisse tantam cognitionem, quanta erat necessaria ad gubernationem vitae humanae secundum illum statum, et ut statim posset filios suos instruere ac gubernare. Num Adam scientiam suam infusam per peccatum amiserit, non liquet.

Post s. Augustinum [3] et s. Thomam [4] multi theologi opinando docent, homines in primitivo statu, quamdiu voluntatem a peccato servarent immunes, nulli proprie dicto errori fuisse obnoxios; quod tamen, ni fallimur, magis ex dono integritatis, quam ex scientia infusa explicandum est. Ex eodem dono, nec non ex bonitate complexionis corporalis, quae perfectionem praeternaturalem sequitur, explicari putamus illud S. THOMAE: „dicendum est, quod pueri in statu innocentiae non nascerentur perfecti in scientia, sed eam in processu temporis absque difficultate acquisivissent, inveniendo vel addiscendo" [5].

Originem linguae Scriptura non indicat; legenti tamen prima *Gen.* capita patebit, primos homines mox creatos conceptus suos de rebus diversissimis aptis verbis exprimere potuisse; hinc concludendum videtur, protoparentes non sine auxilio Dei praeternaturali primam linguam invenisse, secus

---

[1] *In Jo.* l, I, c. 9. — [2] Cfr. S. AUGUST. *Op. Imp. c. Jul.* l. V, c. 1; S. THOMAM, *S. Th.* I, 94, 3; *De Ver.* 18, 4; SUAREZ, *De Op. sex. dier.* l. III, c. 9. — [3] *De lib. arbitr.* l. III, c. 18, n⁰ 52. — [4] *S. Th.* I, 94. 4. — [5] *S. Th.* I, 101, 1; cfr. *De Ver.* 18, 7.

enim homines, etsi insigni scientia praediti, non nisi post-longius tempus linguam sat perfectam efformassent [1].

210. Ex his aliisque, quae supra diximus, inferes, multum a vero aberrare eos, qui docent genus nostrum a statu infimae barbariae incepisse, indeque lentissima evolutione ad prima civilitatis initia pervenisse. Assertio haec ét fidei contraria est, ét excluditur per traditiones plurimarum gentium, quae in mythis de aurea aetate confusam quamdam primaevae felicitatis reminiscentiam servaverunt [2]. Immerito autem adversarii provocant ad tribus incultas, ac si illae primitivae conditionis reliquiae ac testes exsisterent. Quum enim de nulla probari possit, ejus barbariem originalem esse, de multis historice certum est, quod ex meliori statu deciderint. His aliisque argumentis nitens concludit Schanz: humanum genus a statu puriori et altiori exordium habuisse, non solum fides, sed etiam scientia docet [3].

211. **Scholion 4.** *Diversi status, in quibus homo concipi potest.* Ex praedictis facile intelleguntur, quae theologi disputant de diversis statibus, in quibus homo aut fuit aut saltem esse potuit.

1° *Status naturae purae* est illa conditio, in qua homo haberet omnia, quae ejus natura expostulat et nihil ultra; in qua igitur viribus naturae suae insitis, sub naturali Dei providentia, legem naturalem observando ad finem naturalem pervenire debuisset. Hic status de facto numquam exstitit.

2° *Status naturae elevatae*, in quo homo cum auxilio indebito per observantiam legis naturalis et positivae ad finem supernaturalem tendere debet. — Comprehendit:

a. *Statum naturae innocentis* (aut *originalis sanctitatis*, aut *originalis justitiae*, aut *naturae integrae*), in quo homo ét gratia sanctificante ét donis praeternaturalibus instructus fuit. —

[1] Cfr. *Zeitsch. f. k. Theol.* 1899, p. 23; *Nat. n. Offenbarung*, 1903. p. 398. — [2] Cfr. H. Lüken, *Die Traditionen des Menschengeschlechts*, (1856) p. 62 seq.; Hettinger, *Apol. d. Christenthums*, III[7], p. 374. — [3] „Der *reinere* und *höhere Urstand* an der Spitze der Mensch-heitsentwicklung ist nicht bloss ein Glaubenssatz, sondern auch ein Ergebniss der Wissenschaft". *Apol.* I[3], p. 395.

Observandum tamen est, nomina *originalis justitiae* (aut rectitudinis) et praesertim *naturae integrae* aliquando ita usurpari, ut designent naturam humanam donis praeternaturalibus instructam, sed abstractione facta a gratia sanctificante. Quo casu vox *integritas* non solum immunitatem a concupiscentia, sed omnia dona praeternaturalia comprehendit.

b. *Statum naturae lapsae*, in quo homo ad finem supernaturalem destinatus, culpa sua caret originali sanctitate et integritate (donis praeternaturalibus). — Quod si nulla facta esset redemptio, haberetur *status naturae lapsae non reparatae*. Quum tamen misericors Deus mox post Adae lapsum Redemptorem promiserit, statim incoepit *status naturae lapsae et reparatae*, in quo homo gratiam quidem ex meritis Christi recuperare potest [1], sed destitutus manet donis praeternaturalibus.

Scholion 5. *Status naturae purae possibilis.* — Si gratia et dona, quae praeternaturalia vocantur, exigentiam humanae naturae vere excedunt, nihil impediebat, quominus Deus salva sua sapientia et bonitate hominem sine illis donis, seu in statu naturae purae conderet. „Poterat Deus, ita S. THOMAS, a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare, quem in conditione suae naturae relinqueret, ut scil. mortalis et passibilis esset et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiens; in quo nihil naturae humanae derogaretur, quia hoc ex principiis naturae consequitur" [2]. **212.**

Possibilitatem naturae purae negarunt Reformatores, Bajus, Janseniani [3]; qui, exsistentiam gratiae et donorum in protoparentibus admittentes, contenderunt illa non fuisse vere gratuita, sed naturalia, i. e. humanae naturae debita. Quum enim secundum illos, natura humana absque illis donis manca sit et mala, hoc saltem sensu, quod finem debitum assequi nequeat, consequenter docebant, Deum non potuisse ab initio

[1] Dicimus, post Adae lapsum *statim* incepisse statum naturae lapsae et reparatae, hoc scil. sensu, quod justificatio ex meritis futuri Redemptoris jam statim erat possibilis. — [2] *In II Sent.* d. 31, q. 1. a. 2 ad 3. — [3] Insuper ad hanc doctrinam proxime accedunt quidam Augustinenses: Berti, Norisius, Serry.

hominem sine illis donis creare. Et hoc sensu damnata est prop. 55 Baji: „Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur" [1]. Terminus enim: „qualis nunc nascitur" in sensu Baji nihil aliud significat quam: sine gratia et donis praeternaturalibus [2]. Quod probe animadvertendum est; nam proscriptio propositionis Bajanae nullo modo significat, Deum potuisse ab initio creare hominem *sub omni respectu* talem, qualis nunc nascitur. Homo in puris naturalibus creatus non fuisset destinatus ad finem supernaturalem, caruisset gratia sanctificante, sed haec carentia non habuisset rationem privationis et peccati; subjectus fuisset defectibus, qui naturam nostram sponte sequuntur: concupiscentiae, mortalitati, cet. sed defectus isti rationem poenae aut poenalitatis non habuissent. Bonus fuisset rectusque, sed ea bonitate et rectitudine, quae creaturae rationali per se conveniunt.

Doctrina catholica de possibilitate naturae purae impugnatur duobus argumentis, de quibus aliquid addere necesse est.

213. *Dicunt.* 1° Ipsos ss. Patres, et praecipue s. Augustinum aliquando dona Adae et Evae „naturalia" vocasse.

Resp. Supra (n° **74**) diximus, latiori quodam sensu naturale nonnumquam vocari illud omne, quod inde ab ortu entis possidetur, et simul cum natura propagatur. Et hac tantum ratione dona gratuita, sicut et peccatum originale, subinde naturalia audiunt. Ita explicat ipse Augustinus [3]. Eodem modo S. THOMAS meminit gratiae originalis, „doni „scil. gratuiti, quod naturae humanae in sui institutione fuit „collatum; quod quidem donum quodammodo fuit naturale,

---

[1] DENZ. n° 935. — [2] Propositiones Baji rejectae sunt in sensu ab assertoribus intento. Cfr. DENZ. n° 959 — Comma Pianum. — Prop. 55 (et 78 supra citata) non inveniuntur in libris editis Baji. Observat autem RIPALDA: „Pontifici non solum eae exhibitae fuerunt sententiae, quae erant ex Baji libellis impressis excerptae, sed quaedam etiam viva tantum voce assertae aut discipulis in schola dictatae" *In Bajum*, Disp. I, n° 18 (*De Ente Supernat. disp. theol.* Ed. Par. 1870, III, p. 8). — [3] *Retract.* I, **10**, 3; **15**, 6.

non quasi ex principiis naturae causatum, sed quia sic fuit homini datum, ut simul cum natura propagaretur" [1].

Dicunt. 2° Secundum doctrinam catholicam tanta est in- **214.**
firmitas humanae naturae, ut homo nec sine revelatione religionem naturalem satis cognoscere, nec sine gratia totam legem naturalem diu observare moraliter queat. Quum autem cognitio et observatio religionis ac legis naturalis homini ad finem naturalem consequendum fuissent neccessariae, consequens est, quod ex doctrina catholica homo, auxilio supernaturali destitutus, seu quod idem est homo in puris naturalibus, finem suum naturalem consequi moraliter nequivisset. Atqui divinae sapientiae et bonitati, imo et justitiae repugnat, hominem ita condere, ut finem sibi debitum obtinere nequeat. Ergo Deus non potuisset hominem in puris naturalibus creare, a. v. status naturae purae est impossibilis.

Resp. Adversarii arguunt ex iis, quae doctrina catholica habet de morali necessitate revelationis et gratiae ad cognitionem et observantiam legis naturalis in statu praesenti naturae lapsae [2]. Nituntur itaque suppositione, quod status naturae purae perfecte identicus esset cum statu nostro praesenti, demptis fine et mediis supernaturalibus, dempta etiam ipsa labe originali. Atqui pauci admodum inveniuntur theologi catholici, qui tam completam identitatem admittunt; et hi statuunt sapientiae et bonitati divinae non repugnare condere creaturam, cui consecutio sui finis sit physice tantum possibilis. Dura sane sententia! Contra universi fere docent, consecutionem finis proportionati homini in puris naturalibus fore non solum physice, sed etiam moraliter possibilem. Hi igitur omnes similitudinem status hodierni cum statu naturae purae plus minusve restringunt, etsi in assignanda ratione diversitatis non conveniant.

Sunt qui differentiam satis explicari putant ex congerie **215.**

[1] *S. c. G.* IV, 52. — [2] De morali necessitate revelationis, Cfr. tract. *De vera Religione*, n° 23. — De morali impossibilitate totam legem naturalem diu observandi absque gratia, dicetur in tract. *De Gratia.*

peccatorum actualium, quam genus nostrum inde ab Adam cumulavit. Quum enim homo, quo frequentius peccat, eo magis ad peccatum inclinetur, pravae autem dispositiones saepe ex parentibus in filios transfundantur, natura humana sensim sine sensu deteriorata est, ita ut ex hoc capite nunc multum infirmiores simus ad bonum honestum, quam fuisset homo in puris naturalibus conditus. Consideratio haec negligenda non est, sed sola per se non videtur sufficere. Addendum igitur putamus, observantiam legis naturalis homini lapso (absque gratia) multo difficiliorem esse, quam fuisset in statu naturae purae; et quidem propter duo. Primo in statu naturae purae probabilius nulla, aut certe non tanta fuisset impugnatio ex parte daemonum: minora fuissent obstacula. Deinde in illo statu plura praesto fuissent auxilia externa, quia alius obtinuisset ordo divinae providentiae. „Sine dubio falluntur, ait FRANZELIN, qui praesentem ordinem providentiae cum statu naturae purae ita comparant, ut statum praesentem considerent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus, et nullis substitutis aliis, quam quae nunc sunt, adjutoriis naturalibus, tum vero talem fore statum purae naturae sibi persuadent" [1]. Deus etenim, qui nunc per media ordinis supernaturalis, n. p. per revelationem et gratiam necessitatibus nostris consulit, pro illo statu providisset alia auxilia, eaque naturalia, quae impletionem legis naturalis reddidissent omnibus moraliter possibilem.

Denique non desunt theologi, qui contendant, ipsas vires naturales hominis ad bonum honestum ex peccato originali intrinsece diminutas esse, uti suo loco referemus.

CAPUT III

DE HOMINIS LAPSU ET PECCATO ORIGINALI [2]

216. Pretiosissima dona, quibus protoparentes, genusque humanum a Deo ditati fuere, humili obedientia erant conservanda. Primi

[1] *De Trad. et Script.* Ed. 3, p. 642. — [2] Cfr. DE RUBEIS, *De pecc. origin.*; SCHEEBEN, *Mysterien des Christenthums*, cp. 4.

siquidem homines non solum legi naturali et obligationibus ex statu supernaturali sponte fluentibus (e. g. obligationi credendi) obstricti erant, sed insuper speciale quoddam acceperunt mandatum, de non gustando scil. fructu vetito [1], a cujus fideli observatione pendebat tum ipsorum tum posterorum salus et felicitas [2]. Mox [3] autem in peccatum misere prolapsi sunt. Disserendum jam est de illo peccato, quod, quia ab Adamo, *origine* generis nostri, commissum fuit, et in singulos ejus posteros ipsa *origine* seu generatione transit, *originale peccatum* vocatur. Duplici autem modo considerari potest, vel ut erat in ipso Adamo, capite nostro: peccatum originans, vel ut est labes in alios omnes generatione transmissa: peccatum originatum, seu originale (in sensu strictiori).

Dicemus in *art. I* de peccato originante; in reliquis de peccato originato, et quidem in *art. II* de exsistentia peccati originalis, in *art. III* de ejus natura et transfusione, in *art. IV* de ejus sequelis et poenis.

Art. I

De peccato originante

Prop. **Protoparentes in paradiso graviter peccaverunt, gratiam sanctificantem amiserunt, et poenis acerbissimis puniti sunt.** 217.

Propositio secundum omnes suas partes est *fidei dogma* ex conc. trid.: „Si quis non confitetur, primum hominem Adam, quum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea

[1] *Gen.* 2, 17. — [2] Num Adam, si alia ratione quam gustando fructum vetitum, primo peccasset, etiam per illud peccatum gratiam et dona universo generi suo perdidisset, non una est theologorum sententia. Cfr. Heinrich, *Dogm. Theol.* VI, p. 658. — [3] Quamdiu felicitas protoparentum in paradiso duraverit, nescimus. Quum tamen omnino praesumendum sit, eos ante lapsum virginitatem servasse, conjicere licet, praevaricationem non diu post creationem locum habuisse. Theologorum conjecturas videre est apud Suarez, *De Op. sex dier.* l. IV, c. 8.

illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortes deinde habuit imperium, hoc est diaboli; totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, a. s." [1].

218. *Probatur.* Protoparentes mandatum Dei transgressos esse ideoque *peccasse* et *graviter punitos* esse, saltem per subtractionem donorum praeternaturalium, cuilibet *Genes.* cap. 3 legenti evidens est [2], ceterum de funestissimis hujus peccati sequelis postea ex professo dicendum erit.

Peccatum non obstante levitate materiae, per se consideratae, *grave* fuisse patet ex comminatione et inflictione gravissimae poenae, et infra magis explicabitur.

Protoparentes *gratiam sanctificantem* amisisse, quamvis in libro *Geneseos* aperte non dicatur, certissimum est, tum ex eo, quod gratia sanctificans cum gravi culpa coexsistere nequit, tum ex doctrina s. Pauli, *Rom.* 5, 12 seq. Si enim per Adae peccatum omnes homines facti sunt peccatores, injusti, condemnationis rei [3], utique ipse Adam justitiam suam non servavit.

219. **Scholion 1.** *De indole narrationis Genes.* 3. — Rationalistae generatim et plurimi moderni protestantes totam narrationem de probatione et lapsu Adae mythum vocant aut allegoriam, qua v. g. poetice depingatur quomodo singuli homines ad peccatum alliciantur, peccatoque saepissime consentiant. Quod aperte dogmati adversatur [4]. Ex catholicis antiquioribus pauci quidam, historicam veritatem gravis peccati a protoparentibus patrati admittentes, circumstantias hujus peccati v. g. de esu alicujus fructus aut saltem de serpente seductore tropice intelligendas esse putarunt. Ita Clemens Alex., Origenes, Cajetanus, Jahn [5]. Nostris diebus ii qui putabant „historiam

[1] S. V, can. 1. — [2] Ad peccatum Adae alludunt *Osee*, 6, 7; *Sap.* 2, 23; *Eccli.* 25, 33. — [3] L. c. 18—19. — [4] Asserendo characterem historicum narrationis, minime negamus primam tentationem et praevaricationem typum fuisse subsequentium. Cfr. *S. Th.* II, II, 165, 2. — [5] Cfr. MEIGNAN, *De l' Éden à Moïse* (1895), p. 98 et 148. — Sententia Philonis fuit, protoparentes carnali peccato deliquisse (MEIGNAN, l. c. p. 98).

primordialem" non esse historiam stricte dictam, autumarunt, omnia aut fere omnia adjuncta, in *Genesi* relata, esse ornamenta, quibus popularis traditio peccatum protoparentum vestierat. Sacer auctor ornatum illum suscepisset, quin ejus historicam veritatem affirmare intenderet. Ita imprimis Lagrange [1]. Opinio haec dogmati quidem non adversatur, sed absque sufficienti fundamento recedit a sensu obvio Scripturae et intellectu communi patrum. *Commissio* autem *pontificia de Re biblica* edixit, sensum literalem historicum Scripturae in dubitum vocari non posse speciatim „ubi agitur de factis, quae christianae religionis fundamenta attingunt, uti sunt inter cetera ... praeceptum a Deo homini datum ad ejus obedientiam probandam, divini praecepti diabolo sub specie serpentis suasore transgressio, protoparentum dejectio ab illo primaevo innocentiae statu, necnon Reparatoris futuri promissio" [2].

Verus tentationis auctor diabolus fuit; [3] maledictio [4] autem non ad serpentem qua talem, sed ad serpentem ut diaboli instrumentum aut, si mavis, ad ipsum diabolum per serpentem repraesentatum dirigitur: hinc terminis serpenti proportionatis continetur.

De ligno scientiae boni et mali scribit S. THOMAS: „Cujus quidem ligni esus non ideo prohibitus est, quia secundum se malus esset, sed ut homo saltem in hoc modico aliquid observaret, ea sola ratione, quia esset a Deo praeceptum, unde praedicti ligni esus factus est malus, quia prohibitus. Dicebatur autem lignum illud scientiae boni et mali, non quia haberet virtutem scientiae causativam, sed propter eventum sequentem, quia scil. homo per ejus esum *experimento* didicit, quid intersit inter obedientiae bonum et inobedientiae malum" [5].

Praeceptum igitur de non gustando fructu cujusdam arboris, eo tantum fine impositum erat, ut homo per ejus observationem tributum subjectionis et obedientiae Deo persolveret. **220.**

[1] *Revue Bibl.* 1897, p. 365; *La Méthode historique*, 6 confér. — [2] Decr. 30 Junii 1909. — [3] *Sap.* **2**, 24; *Apoc.* **12**, 9; **20**, 2. — [4] *Gen.* **3**, 14—15. — [5] *Comp. theol.* c. 188; cfr. *S. Th.* I, **102**, 1, ad 4.

Ad hunc autem finem convenientissimum erat praeceptum mere positivum, in observanda enim lege naturali primus homo, acutissimo ingenio praeditus et a concupiscentia immunis, directe non subjectionem erga Deum protestabatur, sed propriae rationis ductum sequebatur. In eo autem quod praeceptum istud tam leve fuit et facile, divina bonitas elucet. Ceterum parum refert, utrum res, quae unice in signum liberae subjectionis exigitur, ex sese gravis sit an levis. Vetitum de non gustando fructu apprime accommodatum erat conditioni simplicissimae protoparentum in paradiso. Immerito igitur rationalistae dicunt praeceptum *Geneseos* ineptum esse, Deoque indignum.

221. **Scholion 2.** *Quid et quomodo protoparentes peccarunt* [1]. — Tentatio Evae non ab appetitu sensitivo sed ab extra, a suggestione scil. diabolica, advenit. Peccatum autem inde incepit, quod mulier bonum quoddam spirituale, quod ultra mensuram hominis est, appeteret. Appetiit enim „simultudinem Dei, quantum ad scientiam boni et mali, ut scil. per virtutem propriae naturae determinaret sibi, quid esset bonum et quid malum ad agendum" [2]; a. v. ut in agendis propriae tantum rationis dictamen, non divinam regulam sequeretur [3]. En gravissimum peccatum *superbiae.* Sublata jam per peccatum superbiae subjectione rationis ad Deum, cessavit etiam plena subjectio inferioris appetitus ad rationem. Potuit igitur jam oriri in sensu appetitus inordinatus fructus vetiti: „Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum", cet. Mulier autem huic motui consentiendo *gula* peccavit.

Ex motibus superbiae et gulae oriebatur *fidei delibitatio* et obfuscatio, quatenus „ex ipsa elatione, qua illud quod promittebatur appetebant, oculus mentis impeditus fuit, ne actualiter veritatem divini dicti attenderent" [4].

---

[1] *S. Th.* II, II, 163. — [2] S. THOM. l. c. 2, c. — [3] Cfr. *Gen.* 3, 5, 22. — [4] S. THOM. *In II Sent* d. 22. q. 1, a, 1, ad 1. — plures Patres et theologi proprie dictam infidelitatem, qua de veracitate Dei mortem comminantis vere dubitassent, in protoparentibus, aut saltem in Adam (*I Tim.* 2, 13) non admittunt Cfr. S. THOM. l. c.; HEINRICH, *Dogm. Theol.* VI, p. 698. — Verba *Gen.* 3, 3. „Ne *forte* moriamur", ex hebraeo dubitationem non exprimunt.

Demum sequebatur peccatum externum *inobedientiae* erga praeceptum sub intimatione poenae gravissimae impositum, ad quod ceteri motus disponendo concurrebant.

Hisce adjungendum est ex parte Evae, fructum vetitum viro suo offerentis, peccatum *scandali;* ex parte Adae vero *inordinata complacentia erga uxorem.*

Concludimus peccatum protoparentum rectissime dici peccatum *inobedientiae* [1], quod tamen ex motivo superbiae commissum est [2]. Et vides totius rei cardinem non fuisse fruitionem illius fructus, sed negationem subjectionis erga Deum in cujus protestationem prohibitio statuta erat.

Ut *gravitas* primi peccati plenius intellegatur, conside- **222.**
randa sunt: **a.** *materia* seu objectum peccati, quod, quamvis secundum se leve fuerit, valde grave erat ratione finis, quo injungebatur: in protestationem scil. subjectionis erga Deum, tot et tantorum beneficiorum largitorem; **b.** *motivum* peccati, superbia scil. qua protoparentes similitudinem Dei quantum ad scientiam, in sensu exposito, appetebant. Quae superbia quamvis fuerit gravis, non erat omnium gravissima, „quum superbia, qua quis Deum negat vel blasphemat" gravior sit [3]; **c.** *conditio peccantium*, et sub hoc respectu peccatum protoparentum „habuit maximam gravitatem propter perfectionem status ipsorum" [4].

Hinc concludit S. THOMAS, quod peccatum in paradiso commissum „fuit secundum quid [ratione status peccantium] gravissimum, non tamen simpliciter [ratione materiae et motivi]" [5]. Quodsi hisce adjunxeris, Adamum, ut omnino praesumendum videtur, non latuisse quantam miseriam universo generi suo peccando pareret, optime intellegitur, quare s. Augustinus peccatum „primi hominis ineffabiliter grande" vocaverit [6].

[1] *Rom.* 5, 19. — [2] *Eccli.* 10, 15; *Tob.* 4, 14. — Verum est, in praedictis proprie descriptum esse modum, quo Eva ad esum fructus vetiti devenit, At quamvis motivum principale, quo Adam ad inobedientiam perductus est, in *Genesi* non indicetur, communis opinio est, illum eadem superbia motum fuisse; cfr. *Gen.* 3, 22. — [3] *S. Th.* II, II, 163, 3, c. — [4] L. c. — [5] L. c. — [6] *Op. imp. c. Jul.* l. I, n⁰. 105.

223. **Scholion 3.** *Protoparentum poenitentia.* — Adamum poenitentiam egisse et ex gratia Christi veniam consecutum fuisse, docet Scriptura: „Per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio. Haec illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, . . . eduxit a delicto suo" [1]. Ceteram communis Patrum et theologorum sententia est, tum Adamum tum Evam salutem obtinuisse: „Postea juste vivendo, merito creduntur per Domini sanguinem ab extremo supplicio liberati" [2]; quinimo in ecclesiis orientalibus publico cultu honorantur [3].

Art. II

De exsistentia peccati originalis

224. **Adversarii.** Peccati originalis exsistentiam negarunt: **a.** saec. V ineunte *Pelagius*, monachus ex Britannia oriundus, qui docebat Adam generi suo eo tantum nocuisse, quod peccando pravum exemplum dederat; posteros in tantum per Adam peccatores constitui, in quantum ipsi ejus peccatum imitantur. Potiores Pelagii discipuli ac defensores fuere Coelestius, et Julianus ep. eclanensis. Causam ecclesiae catholicae contra pelagianos prae ceteris b. Augustinus suscepit. **b.** Saec. XVI Arminiani; **c.** nostris temporibus rationalistae omnes, et ex protestantibus plurimi.

225. Prop. **Exsistit peccatum originale, i. e. aliquod veri nominis peccatum, quod ex Adamo in omnes ejus posteros generatione transfunditur.**

Agitur jam de peccato originato, seu de labe, ex Adae transgressione in universis ejus posteris causata. Est autem aliquod veri nominis *peccatum*, non quidem actus peccaminosus, sed peccatum habituale, labes culpabilis, qua injusti, Deo ingrati reddimur; cujus naturam tamen postea expressius con-

[1] *Sap.* 9, 19; 10, 1—2. — [2] S. August. *De pecc. merit.* l. II, c. 34, n⁰ 55. — [3] Cfr. Vacant, *Dict. de Théol. cath.* I, p. 378.

siderabimus. b. Peccatum, quod *ipsa naturali generatione ex Adam contrahitur*, ac proinde summo jure peccatum haereditarium dicitur. Hinc inest omnibus, qui secundum leges naturales ex Adamo procreantur, una excepta b. Virgine Maria, de qua suo loco dicetur.

Propositio est *fidei dogma* ex CONC. TRID.: „Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae: a.s." Deinde memoratur „Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium;" denique damnantur qui asserunt, in baptismo „non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet" [1]. Praeterea ex CONC. MILEV. II, „etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt" [2]. **226.**

Probatur I. Ex *s. Scriptura.*

1° Argumentum princeps et authenticum petitur ex *Rom.* 5, 12—20, ubi s. Paulus, agendo de justificatione per Christum, hunc in modum loquitur: per Christum Deo reconciliati sumus; unde quemadmodum per unum Adamum peccatores facti sunt omnes [qui Adamo conjunguntur, quod fit naturali generatione] ita per unum Christum justificantur universi [qui Christo inseruntur, quod fit per supernaturalem regenerationem, scil. per baptismum [3]]. **227.**

Textus:	*Paraphrasis:*
12. Propterea sicut per unum hominem peccatum [ἡ ἁμαρτία] in hunc mundum intravit, et per pec-	Per Christum reconciliationem accepimus (v. 11). Quemadmodum igitur per unum hominem Adam

[1] S. V. can. 2, 3, 5. — [2] Cfr. DENZ. n° 65. — [3] Cfr. *S. Th.* I, II, 81, 3 ad 3 et *S. c. G.* IV, 55.

catum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt [ἐφ᾽ᾧ πάντες ἥμαρτον] [1].

peccatum regnum obtinuit in homines, et per peccatum mors, et consequenter mors in omnes homines pertransiit, quia omnes peccaverunt; [ita per unum Christum justitia in omnes regnat. — Quae apodosis tamen hic a S. Paulo omittitur, et non nisi v. 18 et 19 apponitur.]

13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset [2].

Dixi: omnes mori, quia omnes peccaverunt. Neque putetis me loqui de peccatis actualibus singulorum; scitis, post Adamum et ante Moysem non exstitisse legem divinam, transgressoribus poenam mortis minantem; quamvis igitur homines illius aerae saepissime actu proprio peccaverint, peccata personalia illis saltem non potuerunt ad mortem imputari. Et quum nihilominus illi homines, qui non sicut Adam, actu proprio transgressi sunt legem sub poena mortis obligantem, omnes mortui sint, reliquum est, eos mortuos esse, praecise quia in Adamo peccaverunt. Ideo statui similitudinem quamdam inter Adamum et Christum, qui erat venturus: Adam omnibus fuit auctor peccati, sicut Christus omnibus est auctor justitiae.

14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non [3] peccaverunt in similitudinem [ἐπί τῷ ὁμοιώματι] praevaricationis Adae, qui est forma futuri [τύπος τοῦ μέλλοντος].

---

[1] Illud ἐφ᾽ ᾧ duplici praesertim modo exponitur: 1⁰ *in quo Adamo*, ita ut sensus sit: „In omnes homines mors pertransiit [ex eo], in quo omnes peccaverunt." Quae interpretatio magnam habet probabilitatem externam ex auctoritate multorum Patrum, praesertim latinorum. 2⁰ *Eo. quod = quia*, cui interpretationi favent constructio grammatica, plures Patres graeci, et ex recentioribus exegetis plurimi. Ceterum argumentum pro exsistentia peccati originalis idem prorsus manet. Etsi enim legeris: „quia omnes peccaverunt", omnino subintellegendum est „in Adamo", uti patet ex versibus sequentibus. — [2] Praeferenda videtur lectio graeca: „peccatum autem non imputatur, si lex non est". — [3] Particula μὴ in aliquibus codicibus deest: nihilominus etiam critice videtur certa. Ceterum vv. 13 et 14 non eodem modo exponuntur ab omnibus; probabiliorem explicationem selegimus.

15. Sed non sicut delictum ita donum: si enim unius delicto multi [οἱ πολλοὶ] mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures [εἰς τοὺς πολλοὺς] abundavit.

Attamen propter hanc similitudinem, minime aequiparanda sunt delictum Adae et gratia Christi: quamvis enim unius Adae peccato universi moriuntur, gratia unius Christi universis abundantiora bona confert, quam Adae peccatum abstulerit.

16. Et non sicut per unum peccatum [δὶ ἑνὸς ἁμαρτήσαντος], ita et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.

Deinde Adae lapsus nos in condemnationem conjecit tamquam unius peccati reos, sed gratia Christi nos non ex hoc uno tantum, sed insuper a multis aliis peccatis (scil. personalibus) justificat.

17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.

Sane si propter unius Adae peccatum mors per illum unum regnavit, multo magis illi, qui abundantiori gratia Christi justificantur, in vitam aeternam regnabunt per unum Christum.

18. Igitur sicut per unius delictum [δὶ ἑνὸς παραπτώματος] in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam [δὶ ἑνὸς δικαιώματος] in omnes homines in justificationem vitae.

Igitur sicut per unum peccatum in omnes homines pervenit reatus in condemnationem, ita per unam justitiam pro omnibus hominibus pervenitur ad justificationem vitae.

19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi [ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί]: ita et per unius obeditionem, justi constituenter multi [δίκαιο, κατασταθήσονται οἱ πολλοί].

Nam quemadmodum per inobedientiam unius Adae peccatores constituti sunt universi, ita et per obedientiam unius Christi justi constituentur omnes, qui illi (ab hinc usque in finem mundi) inserentur.

Hinc ita *argumentamur:* secundum doctrinam S. Pauli, aliquod peccatum ex Adamo venit super omnes homines, ei quidem: **228.**

a. *Verum peccatum*, non sola poena: mors et concupiscentia, uti patet:

α. ex vocibus ἁμαρτία, ἥμαρτον (12), κατάκριμα = condemnatio (16, 18), ἁμαρτωλοὶ (19);

β. ex eo, quod haec ἁμαρτία aperte distinguitur a morte, quae dicitur esse illius sequela (12);

γ. ex eo, quod haec ἁμαρτία opponitur justitiae seu gratiae, a Christo allatae (18, 19), per quam auferri significatur (15—21), Constat autem concupiscentiam per justificationem Christi non excludi aut auferri, ideoque illi non opponi.

b. Peccatum, quod *ex sola transgressione Adae omnibus inest*, quod proinde non imitatione, sed generatione acquiritur, nam:

α. dicuntur, omnes mori „quia omnes peccaverunt" (12). Atqui innumeri homines, scil. infantes, moriuntur, quin proprio actu malo Adamum imitarint.

β. Dicitur: omnes homines „per unum [Adae] peccatum" venire „in condemnationem", justitiae oppositam (18); et quod „per inobedientiam unius [Adae] peccatores constituti sunt" universi (19). Atqui id verum non esset, si homines proprio tantum actu libero in condemnationem venirent, ac peccatores constituerentur.

2° Alii Scripturae loci sunt:

229. a. „Eramus natura [φύσει] filii irae, sicut et ceteri" [1]. — Sensus est: nos, christiani, qui nunc justificati sumus, natura i. e. ipsa nativitate nostra, eramus filii irae sicut omnes reliqui [οἱ λοιποί], Concedendum tamen est, vocem graecam φύσει per se loquendo verti posse: revera.

230. b. „Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea" [*Hebr.:* in iniqutat*e*, in peccat*o*] [2]. David, post gravissimum suum in Uriam et cum Bethsabee peccatum [3], divinam misericordiam implorat dicendo: gravissime peccavi, sed jam in iniquitate conceptus eram: quid mirum si mala arbor malos fructus ferat! Locus certo non ita potest intellegi, ac si David parentes suos incusaret dicendo: parentes dum me generarent jam peccaverunt. „Numquid David de

[1] *Ephes.* 2, 2. — [2] *Ps.* 50, 7. — [3] Cfr. v. 2.

adulterio natus erat? De Jesse, viro justo, et conjuge ejus. Quid est; quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam" [1]? Neque probabile est, „iniquitatem" et „peccatum" hic significare concupiscentiam, quum voces עָוֹן et חֵטְא in Vet. Test. numquam ita sumantur.

c. „Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es" [2]? Textus apud LXX legitur: „Quis enim mundus a sorde? Nullus, etsi una dies sit vita ejus super terram". Hebraice vero: „Quis dabit mundum de immundo? Ne unus quidem". Concedendum est, lectionem hebraicam minus claram esse, sed ipsae versiones LXX (cum qua vetus *Itala* conveniebat) et *Vulgata* ostendunt, qua ratione traditio synagogae et ecclesiae locum intellexit. Cfr. KNABENBAUER in h. l. **231.**

Objicitur. Apud Ezechiel legitur: „Anima, quae peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii" [3]. **232.**

Resp. Sensus est: filius non punietur pro parentis culpa, cui non participat. Atqui secundum dogma catholicum omnes de culpa Adae participamus, unde proprie loquendo non ferimus poenas peccati personalis Adae, sed peccati quod ex Adae transgressione nobis singulis inest proprium Textus igitur non est ad rem [4]. Ceterum locus ex contextu explicari debet; intentio prophetae est, retundere praesumptionem exulum in terra Babylon dicentium, se plane innocentes propter solas parentum culpas puniri: „Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorem obstupescunt" [5]. Hinc saltem non universaliter excluditur, filios aliquando mala physica pati ex culpa parentum (quod tum Scriptura [6], tum experientia docent); quamvis verum sit mala ista pro filiis non habere rationem poenae, sed probationis.

---

[1] S. AUGUST., *Enarr. in Ps. 50*, n⁰ 10. — [2] *Job.* 14, 4. — [3] *Ezech.* 18, 20. — [4] Cfr. *S. Th.* I, II, 81, 1, ad 1. — [5] L. c. 2. — [6] E. g. *Exod.* 20, 5.

233. II. Ex *Traditione*.

Ab Augustino et deinceps res in confesso est. Quum autem s. Augustinus, quippe qui agendo contra Pelagianos dogma nostrum prae ceteris excoluit, ejus inventor aliquando vocetur, ostendere debemus, quam merito ipse Juliano dixerit: „Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit antiquitus, sed tu, qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus" [1].

S. JUSTINUS: Christus „nec nasci nec crucifigi ideo sustinuit, quod his rebus indigeret, sed pro humano genere, quod in mortem et serpentis fraudem inciderat, unoquoque sua culpa improbe agente [παρὰ τῆν ἰδίαν αἰτίαν ἑκαστου αὐτῶν πονηρευσαμένου]" [2].

S. IRENAEUS: Christus erat „salutem nobis praestans, ut quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus" [3]. — „Deum quidem in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum, neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus praeceptum transgressi fueramus ab initio" [4].

TERTULLIANUS: „Per quem [diabolum] homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit" [5]. — „Itaque omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur, tamdiu immunda quamdiu recenseatur, peccatrix autem quia immunda, recipiens ignominiam ex carnis societate . . . . Malum igitur animae, praeter quod ex obventu spiritus nequam superstruitur, ex originis vitio intercedit, naturale quodammodo" [6].

ORIGENES: „Constat unumquemque per peccatum cecidisse, et Dominus est, qui erigit elisos et elevat qui corruunt; in Adam omnes moriuntur et ita cecidit orbis terrarum et indiget erectione, ut in Christo omnes vivificentur" [7]. — Alibi, laudatis *Ps.* 50, 7 et *Job* 14, 4 prosequitur: „Addi his etiam

[1] *De nupt. et concup.* II, 12, 25. — [2] *Dial. c. Tryph.* 88. — [3] *Adv. Haer.* III, 18, 1. — [4] *L. c. V.*, 16, 3. — [5] *De testim. animae*, 3. — [6] *De anima*, 40 et 41. — [7] *In Jerem.* hom. 8, n⁰ 1.

illud potest, ut requiratur: quid causae sit, cum baptisma ecclesiae pro remissione peccatorum detur, secundum ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari; cum utique si nihil esset in parvulis quod ad remissionem deberet et indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur" [1].

S. CYPRIANUS: „A baptismo atque gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod, secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facillius accedit, quod illi remittuntur non propria [np. actualia], sed aliena peccata" [2].

S. ATHANASIUS: „Quemadmodum peccante Adamo, peccatum in omnes homines pertransiit, ita postquam Dominus factus homo serpentem devicit, vis illa permanebit in omnes homines" [3]. — „Omnes qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi" [4].

S. AMBROSIUS: „Antequam nascamur maculamur contagio, et ante usuram lucis originis ipsius accipimus injuriam, in iniquitate concipimur" [5].

S. CHRYSOSTOMUS explicando *Colos*, **2**, 14, dicit: „Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam: ille initium induxit debiti, nos foenus auximus posterioribus peccatis" [6] — „Liquet, quod peccatum inobedientiae Adami, ipsum illud inquam peccatum erat, quod omnia perdebat . . . Ut cum tibi dixerit Judaeus: quo pacto recte agente Christo universus orbis salvatus est? possis illi dicere: quomodo inobediente Adamo orbis condemnatus est? .. Mortem et condemnationem unum quidem peccatum afferre potuit; gratia autem non illud modo peccatum sustulit, sed et quae post illud supervenere" [7].

---

[1] *In Levit.* hom. 8, 3; cfr. **12**, 4. — [2] *Ep. 59, ad Fidum*, 5. — [3] *Orat. 1 c. Arian*, 51, — [4] *In Ps. 50*, n⁰ 7. — [5] *Apol. David.* c. 11, n⁰ 56. — [6] Apud S. AUGUST. *c. Julian.* I, 6, 26. — Textus a s. Augustino graece et latine citatus desumptus est ex homilia *Ad neophytos* c. 1, latine tantum servata et a Montfaucon [et Migne] immerito praetermissa. Cfr. *Zeits. f. k. Theol.* 1904, p. 171. — [7] *In Ep. ad Rom.* hom. 10, c. 1 et 2.

234. Hisce disertis ss. Patrum effatis, ut validissimum traditionis testimonium adjungi debet *praxis Ecclesiae*, quae a primis saeculis etiam infantes **a**. in remissionem peccatorum baptizabat, et **b**. jam ante baptismum exorcismis et exsufflationibus clericorum immundum spiritum ab eis abigere satagebat [1].

235. Verum est in libris Patrum graecorum inveniri quosdam textus difficiliores, sed animadvertendum est, in Oriente neminem exsistentiam peccati originalis impugnasse, plures vero per excessum hac in re **a** veritate recessisse. Quid mirum v. g., si Patres, rem habentes cum Manichaeis, omne corpus principio malo tribuentibus, subinde dixerint nil mali esse in conceptione, qua corpus humanum efformatur? Quid mirum, si erroribus Platonicorum et Origenistarum animarum praeexsistentiam docentium assueti, aliquando affirmaverint, infantes, licet baptizentur, nihil peccasse, nulla habere peccata; intellegendo scil. peccata actualia in vita superiori commissa? Valet generatim de illis antiquis Patribus, quod Juliano ad s. Chrysostomum provocanti respondit AUGUSTINUS: „Disputans in Ecclesia catholica, non se aliter intellegi arbitrabatur . . . . Vobis nondum litigantibus, securius loquebatur" [2].

Ceterum aliud est dogmatis substantiam admittere, aliud illud accuratius explicare; dogmatis autem nostri substantiam Patres ad unum omnes tenuisse, inde jam patet, quod omnes aperte profitentur, universos homines, nemine excepto, redemptione et reconciliatione Christi indiguisse. Quod utique profiteri non potuissent, si putassent praeter mortem et poenas corporis nihil ex Adamo in ejus posteros transiisse. — Lococorum difficiliorum explicationem invenies e. g. apud PALMIERI: *De Deo creante,* thes. 70.

236. III. Suadetur ex *ratione*.

Ratio exsistentiam peccati originalis non quidem probare, sed argumento probabili aliquatenus suadere potest. Qui

[1] Cfr. S. AUGUST., *De pecc. rem. et remiss.* I, **26**, 39 et **43**, 63. — [2] *Contra Julian.* I, **6**, 22.

enim consideraverit multiplices, quibus genus humanum premitur, miserias corporales et spirituales, concedere quidem debebit, eas absolute loquendo ex sola naturae nostrae imperfectione explicari posse, sed si recte de summa Dei benignitate et liberalitate senserit, vix cohibere poterit suspicionem, miserias illas poenae rationem habere. Quod si verum est, culpam quamdam supponunt. Et hoc sensu dicit S. THOMAS: „quod peccati originalis in humano genere *probabiliter* quaedam signa apparent" [1].

Revera variae populorum traditiones et nonnulli antiqui philosophi aerumnas hujus vitae ex aliquo peccato admisso explicare studuerunt. Unus audiatur CICERO: „Ex humanae vitae erroribus et aerumnis fit, ut interdum veteres illi vates, sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera, suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur" [2].

ART. III

DE NATURA ET TRANSFUSIONE PECCATI ORIGINALIS

Probata existentia peccati originalis, indaganda est ejus essentia et modus, quo ab Adam in singulos ejus posteros diffunditur. **237.**

Quaestio de natura peccati originalis teste AUGUSTINO admodum difficilis est: „Antiquo illo peccato nihil est ad praedicandum notius, nihil ad intellegendum secretius" [3]. Accedit,

[1] *S. c. G.* IV, 52. — Sunt qui ulterius progressi ita argumentantur. Conditio hominis talis est, ut ipsi moraliter impossibile sit, viribus insitis finem naturae suae debitum obtinere; atqui repugnat Deum ab initio hominem in tali conditione creasse; ergo. — Sed ut haberetur argumentum naturale peremptorium, ex sola ratione ostendendum esset, memoratam impossibilitatem ét reapse exsistere, ét ex solis actualibus humani generis peccatis explicari non posse. — De mente s. Augustini contra pelagianos ex miseriis hujus vitae argumentantis, vide JUNGMANN, *De Deo Creat.* n⁰ 336. — [2] *Hortensius, sive de Philosophia*, fragmenta. Cfr. HETTINGER, Apol, III⁷, p. 408. — [3] *De mor. eccl. cath.* I, 22, 40.

quod ecclesia hucusque non definivit, in quonam ratio formalis peccati nostri sita sit. Nihilominus decreta ecclesiastica, imprimis in conc. trid. edita, quaestioni nos parum lucis affundunt; ceterum Patrum ac theologorum vestigiis inhaerendum est. Modus procedendi hic est, ut prius falsae opiniones rejiciantur, deinde vera sententia aperiatur.

238. PROP. I. **Essentia peccati originalis neque 1° in quadam entitate physica mala, neque 2° in concupiscentia, neque 3° in sola imputatione extrinseca peccati actualis Adae consistit.**

I. Non consistit in quadam *entitate physica mala.*

Inter veteres Lutheranos Flacius Illyricus docuit, per peccatum Adae inductam esse formam malam, qua homo, qui prius fuerat imago Dei, factus sit imago diaboli, ita ut substantialiter corruptus existat, sicut vinum quod mutatum est in acetum. Theoria haec, quam ceteroquin nemo adhuc defendit, absurda est, quum omne ens sit bonum.

239. II. Non consistit in *concupiscentia.*

Lutherani et Calvinistae, item Bajus et Jansenius, essentiam peccati originalis reposuerunt in concupiscentia habituali, late sumpta, quae ex ipsorum sententia veri peccati rationem habet. Addiderunt concupiscentiam hanc etiam in renatis manere, sed iis non amplius imputari.

Probatur. 1° Essentia peccati originalis nequit consistere in eo, quod ipso deleto, adhuc remanet. Atqui ita est de concupiscentia. CONC. TRID.: „Si quis per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: a. s... Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec s. Synodus fatetur et sentit" [1].

240. 2° Essentia peccati originalis nequit constistere in eo, quod veram peccati rationem non habet. Atqui ita est de concu-

[1] S. V, can. 5.

piscentia. Certe concupiscentia habitualis verum peccatum esse nequit, si nec ipsa concupiscentia actualis (motus inordinati) per se peccatum est. Postremum probatur ex s. Scriptura: „Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum" [1]. Motus igitur concupiscentiae est quasi mater peccati, quae tamen non parit peccatum, nisi conceperit per accessum voluntatis. [2].

Ceterum quam immerito adversarii hac in re ad s. Augustinum provocent, testatur CALVINUS: „Ipse quidem [scil. Augustinus] eum morbum [concupiscentiam] peccatum vocare non audet, sed tunc demum peccatum fieri docet, ubi consensus accedit; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quod aliqua omnino homo cupiditate titillatur" [3].

Corollarium. Ex dictis conficitur, a fortiori peccatum originale reponi non posse in morte poenisque corporis, quae multo minus quam concupiscentia ad rationem peccati accedunt. CONC. TRID. „Si quis asserit, illum [Adam] mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, a. s," [4]. **241.**

III. Non consistit in *sola externa imputatione peccati Adae.* **242.**

Post nonnullos antiquos, quos impugnat s. Anselmus [5], saec. XVI Ambrosius Catharinus et Albertus Pighius [6] putarunt, peccatum originale nihil aliud esse, quam ipse malus actus Adae singulis ejus posteris extrinsece tantum imputatus, ita ut privatio gratiae sanctificantis non pertineret ad essentiam peccati originalis, sed solummodo ejus poena esset.— Falsa haec opinio, monente s. Sede, ex operibus Catharini et Pighii expuncta fuit [7].

---

[1] *Jac.* 1, 14. — [2] Cfr. S. AUGUST. *Cont. Julian.* VI, 15, 47. — [3] *Instit.* III, 3, 10. — [4] S. V, can. 2. — [5] *De Conc. virgin.* c. 26. — [6] Albertus Pighius natus Campeniae c. 1490, Adriani pp. VI discipulus et comes, obiit Trajecti ad Rhenum a⁰ 1542. Licet in paucis erraverit, strenuus et optime meritus defensor ecclesiae catholicae contra reformatores. — [7] Cfr. HEINRICH, *Dogm. Theol.* VI, p. 778.

243. *Probatur.* 1° Peccatum originale, si in sola imputatione transgressionis Adae consisteret, nec vere propagatione transfunderetur, nec vere singulis inesset unicuique proprium, nec per baptismum vere remitteretur et tolleretur, sed tantum non amplius imputaretur. Atqui secundum CONC. TRID.: „Adae peccatum ... propagatione transfusum, omnibus inest unicuique proprium" [1]. Mox additur, peccatum originale per baptismum „remitti" et „tolli", minime vero „non imputari" tantum [2].

2° Docet Apostolus, nos peccatores fieri per Adam, sicut justi constituimur per Christum [3]. Atqui justificamur non extrinseca imputatione justitiae Christi, sed per gratiam inhaerentem; ergo nec sola imputatione peccati Adae, sed per peccatum quod singulis insit, peccatores reddimur. Hinc S. ANSELMUS: „Non portant infantes peccatum Adae, sed suum" [4].

244. PROP. 2. **Essentia peccati originalis consistit in gratiae sanctificantis privatione, nobis aliqua ratione imputabili ex nostra connexione cum Adamo, gratiam libere abjiciente.**

Ad essentiam peccati originalis duo elementa dicuntur concurrere: 1. absentia gratiae sanctificantis, et quidem talis absentia, quae sit privatio; 2. relatio nostra ad Adam, ex qua haec privatio redditur nobis imputabilis, proindeque rationem culpae induit.

Ad 1. — Quum creatura rationalis per gratiam sanctificantem ad Deum, finem supernaturalem, ordinetur, homo gratia sanctificante carens, non habet supernaturalem conversionem ad Deum. Si Deus genus nostrum in puris naturalibus condidisset, carentia supernaturalis conversionis fuisset mera negatio, sicut v. g. est carentia vitae in lapide. Sed quum Deus naturam humanam in protoparente gratia sanctificante donavit, carentiae gratiae de facto est absentia boni, quod adesse

[1] S. V, can. 3. — [2] Can. 5. — [3] *Rom.* 5, 19. — [4] L. c.

debebat, seu privatio. En primum elementum: privatio gratiae, qua homo versatur in statu aversionis privativae a Deo, fine supernaturali.

Dico: „in *statu* aversionis", nam esse privatum gratia non actum, sed statum denotat: peccatum originale est peccatum habituale.

Dico: „in statu aversionis *privativae*", i.e. non-conversionis, nam privatio gratiae per se nihil aliud est, quam carentia conversionis (supernaturalis) adesse debentis: non importat de se conversionem in finem oppositum np. in bonum creatum (aversio positiva).

Dico: „in statu aversionis a Deo, fine *supernaturali*", nam privatio gratiae de se non involvit carentiam debitae habitudinis ad Deum, ut est finis naturae [1].

Ad 2. — Privatio gratiae, quae conciperetur nullo modo imputabilis seu voluntaria, ad rationem peccati non pertingeret. Si v. g. per impossibile fingatur, satanam primum hominem praeter ejus voluntatem gratia spoliasse, carentia gratiae illi fuisset privatio, sed non privatio peccaminosa [2]. Ut igitur carentia gratiae sanctificantis peccati rationem habeat, necesse omnino est, ut sit nobis aliquo saltem modo imputabilis seu voluntaria. Dicitur autem, gratiae privationem, quae est de ratione peccati originalis, ideo nobis imputari, quia intime 245.

[1] Observa quod dicitur, privationem gratiae non importare *per se* conversionem ad finem oppositum et carentiam habitudinis debitae ad finem naturae, nam privatio gratiae, *ut causata per conversionem propriae voluntatis ad bonum commutabile* (peccatum grave personale), utramque perversitatem includit. — [2] Dico: si *per impossibile* fingatur; nam *privatio* gratiae adaequate concipi nequit, nisi concipiatur aliqua ratione voluntaria. Gratia sanctificans abesse nequit, nisi Deo eam aut non infundente aut retrahente (non-conservante). Jam si ponas, Deum pro solo suo beneplacito gratiam cohibere aut retrahere carentia gratiae non est privatio, sed mera negatio: absentia boni, quod adesse non debet. — Hinc simul vides, quo sensu Adam et quilibet homo graviter peccans dicatur abjicere gratiam, non quod eam physice in se destruat, sed quia ponit actum, quem secundum legem divinam sequitur subtractio gratiae ex parte Dei.

conjungimur Adamo gratiam abjicienti, a. v. privationem gratiae in nobis peccatum esse ex ejus respectu ad actum pravum Adae.

246. *Probatio.* 1. Naturam peccati originalis sitam esse in *privatione gratiae sanctificantis*, probatur.

a. Ex S. PAULO, secundum quem peccatum originale opponitur justitiae, quam per Christum accipimus [1]. Atqui haec justitia formaliter est gratia sanctificans, ergo necesse est, quod peccatum originale formaliter consistat in privatione gratiae. — Res conformatur ex conc. trid., secundum quod homines ex semine Adae procreati nascuntur „injusti", quia ipsa generatione „propriam injustitiam" contrahunt [2].

b. Ex CONC. TRID., quod peccatum originale *mortem animae* vocat: „Si quis asserit, illum [Adam] mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae, a. s." [3]. Atqui mors animae nulla est, nisi per privationem gratiae sanctificantis, quae est vita ejus supernaturalis.

247. 2. Privationem gratiae rationem voluntarii et peccati habere ex *nostra connexione cum Adam*, probatur.

a. Ex *damnatione prop. 47 Baji:* „Peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatione ac respectu ad voluntatem, a qua originem habuit [4].

b. *Argumento exclusionis.* Revelatione docemur, privationem gratiae sanctificantis in nobis habere rationem peccati. Ad rationem autem et definitionem peccati pertinet voluntarium, ut ipsa ratio dictat, et ecclesia expresse vindicavit contra Bajum [5]. Quum autem evidens sit, propriam nostram voluntatem hac in re nihil contulisse aut conferre potuisse,

---

[1] *Rom.* 5, 19. — [2] S. VI, cp. 3. — [3] S. V, can. 2; cfr. CONC. ARAUS. II, DENZ. n⁰ 145. — [4] DENZ. n⁰ 927. — [5] *Prop.* 46: „Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quaestio est, sed causae et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium". DENZ. n⁰ 926.

restat ut dicamus, privationem gratiae sanctificantis nobis voluntariam esse per voluntatem Adae, nobis aliqua occulta ratione communem.

Corollarium. Sententiam s. Thomae [1], quam exposuimus, theologi hodie communius vel etiam communissime sequuntur. Nihilominus controversia, quam agendo de peccato mortali habituali indicavimus (**n** 98.), etiam in praesentem materiam influit. Nonnulli igitur auctores putarunt, peccatum originale principaliter consistere in imputatione peccati actualis Adae, toti ejus posteritati occulta quadam ratione communis, secundarie vero et consequenter in privatione gratiae sanctificantis. Haec sententia, quae saec. XVII et XVIII plures invenit patronos, inter quos eminet card. de Lugo [2], libere defendi potest, dummodo admittatur etiam privationem gratiae vere esse de ratione peccati originalis. **248.**

Scholion 1. *Quomodo privatio gratiae, ut inducta per voluntatem Adae, nobis possit esse voluntaria et imputabilis.* Difficultatis solutio, in quantum dari potest, repetenda est ex nexu inter Adamum et reliquos homines. Ad rem faciebat, sed per modum praerequisiti tantum, vinculum naturale, quo Adam erat *caput physicum* aliorum hominum, quippe qui omnes seminaliter in eo continebantur. Unde AUGUSTINUS: „In Adam omnes tunc peccarunt, quando . . . omnes ille unus fuerunt" [3]. **249.**

Hac autem unitate naturali, quasi fundamento, nitebatur speciale decretum Dei, quo Adam constitutus fuit *caput morale* reliquorum hominum, non universaliter tamen sed in uno negotio, in acceptanda scil. et conservanda justitia originali. Vinculum illud, positiva Dei ordinatione inductum, duo importabat: **a.** ut dona gratuita Adae impertita, eo ipso essent collata generi humano, ideoque omnibus naturam ex Adam trahentibus destinata; **b.** ut obligatio dona concredita conservandi (per impletionem divini praecepti) Adae imposita,

[1] *S. Th.* I, II, 82, 3 et 4. — [2] *De Poenit.* disp. 7. s. 7. — [3] *De pecc. mer. et remiss.* III, 7, 14; cfr. *De Civ.* XIII, 14.

ipsam naturam humanam afficeret, ita ut hac in re voluntas Adae esset voluntas universi generis humani. Quemadmodum igitur voluntas Adae, divinum praeceptum observantis, in tantum fuisset voluntas generis humani, in quantum per illam universa Adae posteritas sibi originalem justitiam veluti appropriasset, ita actus Adae, mandatum Dei transgredientis et dona gratiae abjicientis, in tantum erat actus totius naturae humanae, in quantum per illum totum genus humanum originalem justitiam culpabiliter abjecit.

Observa iliud „in tantum"; *non enim eadem omnino res* imputatur Adamo et nobis. Adae, ut erat persona particularis, sua praevaricatio imputabatur talis, qualis in concreto erat, secundum propriam speciem et cum omnibus adjunctis aggravantibus; generi vero humano de eadem praevaricatione nihil aliud imputatur, quam sola et nuda abjectio originalis justitiae. Ratio est, quod Adam non nisi in ordine ad dona gratuita conservanda vel amittenda caput morale sui generis erat constitutus [1].

250. Vides igitur, quo sensu ss. Patres et theologi, praeeunte Apostolo [2], dixerint, nos omnes in Adamo peccasse. Sequitur, carentiam justitiae in nobis, si consideremur praecise ut personae singulares, distinctae a persona Adae, non habere rationem voluntarii et peccati; sed si consideremur ut „*membra totius humanae naturae [familiae] a primo parente propagatae, ac si omnes homines essent unus homo*, sic habet rationem culpae propter voluntarium ejus principium, quod est actuale peccatum primi parentis: sicut si dicamus, quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpae, quia manus de necessitate movetur ab alio [scil. a voluntate]; si autem consideretur ut est pars totius hominis qui voluntate agit, sic habet rationem

[1] Hinc simul vides, quare nec ulteriora Adae peccata, si ea commisit, posteris obfuerint, nec ejus poenitentia, iis profuerit; amissa enim originali sanctitate Adam jam non erat caput morale humani generis. — [2] *Rom.* 5, 12.

culpae, quia sic est voluntarius. Sicut igitur homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis, ita hujusmodi defectus [gratiae scil.] non dicitur esse peccatum personale, sed peccatum totius naturae, nec ad personam pertinet, nisi inquantum natura inficit personam" [1].

Aliam analogiam habes in milite, qui praediis honoribus, familiari amicitia regis pro se suaque posteritate sub fidelitatis conditione ditatus, regem prodit. Tota familia, omnes posteri bonis regiis et amicitia regis carebunt voluntate sua, non personali sed familiari.

Breviter adjungimus *alias explicationes*, a nonnullis theo- **251.**
logis excogitatas, quae videntur minus rectae.

Aliqui opinati sunt, admittendum esse *pactum* inter Deum et Adamum; sed quum per hujusmodi pactum res non magis explicetur quam per solum decretum divinum, gratis adstrui videtur [2].

Alii putarunt, Deum ideo voluntatem Adae reputasse voluntatum omnium, quia *sciebat, omnes homines, si in Adae conditione positi fuissent, eodem modo peccaturos fuisse ac Adam.* Quod primo gratis asseritur; et deinde nihil explicat, nemo enim peccati reus est ex eo, quod in quibusdam adjunctis possibilibus peccaturus praescitur.

Alii denique dixerunt, *voluntates nostras fuisse inclusas in voluntate Adae*, aut alligatas voluntati Adae. Jam si quis hujusmodi formulas adhibendo, nihil aliud dicere intendit, quam voluntatem Adae vi divini decreti fuisse voluntatem universi generis, habeat sibi; sed si locutiones praedictae in rigore sumuntur, sustineri nequeunt. Inclusio seu alligatio voluntatum alia concipi nequit quam ea, qua v. g. ex decem juratis novem dicant decimo: tu hunc reum judica: sententia tua est sententia nostra. Jam evidens est, nos ipsos talem procurationem nec explicite nec implicite Adamo dedisse,

[1] S. THOM. *De Malo*, 4, 1, c. — Eadem comparatio paulo fusius exponitur ab eodem s. Thoma, *S. Th.* I, II, 81, 1 et *Comp. theol.* c. 196. —
[2] Cfr. PESCH, *Praelect.* III, n⁰ 274.

restat igitur ut dicant, Deum (in cujus potestate sunt voluntates omnium, magis quam in potestate singulorum [1]), nostras voluntates voluntati Adae alligasse. Sed primo quidem talis inclusio voluntatum, actu nondum exsistentium, a Deo facta, si daretur, ad minus esset mysterium altissimum. Praeterea inclusio voluntatum peccatum originale nullatenus explicat. Si enim in toto hoc negotio inveniretur aliquod peccatum, dicendum esset, non voluntates inclusas, sed ipsum includentem includendo peccasse.

Generatim praepostera sunt omnia explicationis tentamina, quae rem exponere nituntur per anticipatam quamdam aut praesumptam *propriae* voluntatis nostrae operationem, quae nulla nec fuit, nec esse potuit; quae demum, si fuisset, non peccatum originale sed personale seu actuale induxisset.

252. **Scholion 2.** *Peccatum originale comparatur cum personali.* — Asserta et explicata essentia peccati originalis, facile vides, labem, quam ex protoparente trahimus, merito vocari et reapse esse *peccatum* (habituale); utrumque enim elementum ex quo peccati natura consurgit: deordinatio a fine ultimo et imputabilitas seu voluntarium, in eo invenitur. At simul vides, alterum illud elementum, scil. voluntarium alio et longe imperfectiori modo verificari in peccato originali, quam in personali. Hinc s. Thomas docet, nomen peccati, quemadmodum de mortali et veniali, ita etiam de personali et originali, non praedicari univoce sed analoge tantum. Natura siquidem peccati in solo peccato personali mortali plene et perfecte verificatur, nam in veniali non invenitur perfecte deordinatio a fine, et in originali voluntarium deficienter tantum habetur [2].

---

[1] Ita BILLUART, *De Pecc.* diss. VI, a. 1, § 1, Suppono 4⁰. — [2] „Peccatum non dicitur univoce de omnibus generibus peccatorum, sed per prius de peccato actuali mortali, a quo peccatum veniale deficit ex hoc, quod non omnino a fine deordinat, sed aliquo modo a fine retardat, ordine ad finem salvato; unde deficit ex parte illa, ex qua peccatum formaliter rationem mali habet. Originale autem deficit ab eo, ex parte ipsius sub-

Hinc si peccatum originale cum personali comparatur, sub uno respectu mortali fere aequivalet, sub alio infra ipsum, veniale manet. Sane si in originali consideres illud elementum, a quo peccatum habet rationem *mali* seu damni, deordinationem scil. a fine ultimo, peccatum originale in tantum mortali aequiparatur, in quantum utrumque importat privationem gratiae sanctificantis. Datur nihilominus aliqua differentia, quia in peccato originali habetur deordinatio privativa (non-conversio ad Deum), in mortali vero deordinatio positiva (aversio a Deo, per conversionem ad creaturam).

Quodsi in peccato originali consideres illud elementum, ex quo peccatum habet rationem *culpae*, n. p. imputabilitatem seu voluntarium, originale levius est quolibet peccato personali. S. THOMAS: „Inter omnia peccata minimum est originale, eo quod minimum habet de voluntario; non enim est voluntarium voluntate istius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum autem actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus in quo est" [1].

Corollarium. Quum peccatum originale nobis voluntarium sit voluntate aliena tantum, non datur de eo *poenitentia* proprie dicta, proprie enim retractari non potest, nisi quod voluntate propria admissum est [2]. Quatenus tamen omnis displicentia mali praeteriti latiori sensu poenitentia vocatur, sic de peccato originali poenitere possumus.

Scholion 3. *Peccatum originale aequale est in omnibus.* — **253.** Revera omnes aequaliter privantur gratia originali, et haec privatio omnibus aequaliter imputabilis est, quia omnes eamdem relationem habent ad voluntatem Adae [3].

stantiae actus; actuale enim mortale est voluntarium voluntate propria illius in quo est, sed originale est voluntarium voluntate alterius, unde deficit ex parte illa, ex qua peccatum habet rationem culpae. Et ideo non oportet, quod definitio peccati in genere conveniat nisi illi peccato, in quo perfecte ratio generis invenitur; potest autem et definitio peccati in genere eis secundum quid convenire, sicut et ratio generis in eis per posterius invenitur". S. THOM. *In II Sent.* d. 35, q. 1, a. 2, ad 2. — [1] *In II Sent.* d. 33. q. 2, a. 1, ad 2. — [2] Cfr. DENZ. n⁰. 1176. — [3] Cfr. *S. Th.* I, II, 82, 4 c.

254. **Scholion 4.** *Quo sensu concupiscentia vocari possit materiale peccati originalis.* — Investigando naturam peccati originalis S. THOMAS dicit: „peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero defectus originalis justitiae" [1]. Sciendum tamen est, in hujusmodi effatis voces materia et forma improprie sumptas esse. Mens enim S. Thomae non est, quod concupiscentia et privatio gratiae simul constituant essentiam peccati originalis, sed ejus intentio haec est: peccatum originale formaliter seu essentialiter consistit in privatione culpabili originalis justitiae, sed extrinsece completur per concupiscentiam, quae est ejus sequela et manifestatio in homine (sicut passibilitas et mortalitas; cum hac tamen differentia quod concupiscentia non solum ex peccato est, sed etiam ad peccatum inclinat). Hinc ipse s. doctor mox adjicit, „quod concupiscentia se habet ex consequenti in peccato originali" [2].

255. PROP. 3. **Peccatum originale naturali generatione traducitur.**

Inquirendum jam est de modo seu via, qua labes originalis ad singulos homines pervenit. Peccatum originale traduci per naturalem generationem, i. e. per illum actum, quo natura ex parente in prolem derivatur, *dogma fidei* est ex CONC. MELIVIT. II: „Parvuli ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt" [3]. Consonat CONC. TRID.: „Adae peccatum, quod origine unum est, propagatione non imitatione transfusum, omnibus inest, unicuique proprium" [4].

Post ea, quae disseruimus, res probatione non amplius indiget. Si Adam dona gratiae abjecit ut caput morale totius generis sui, et hoc modo totam suam progeniem hereditario maculavit peccato, evidens est, unumquemque nostrum peccatorem constitui eo solo, quod est filius Adae, membrum familiae Adamiticae. Filii autem Adae sumus quia per naturalem generationem ex semine Adae procreamur; ergo naturalis

[1] L. c. 82, 3 c.; cfr. *De Malo.* 4, 2. — [2] *S. Th.* I, II, 83, 2, ad 4. — [3] DENZ. n⁰ 65. — [4] S. V, can. 3.

generatio, generatio scil. activa, seu actus generationis est, qui peccatum originale traducit. Unde merito apostolus: „Eramus natura [= ipsa nativitate] filii irae" [1]. Plura tamen sunt in scholiis declaranda et explicanda.

Scholion 1. *Peccatum originale ex solo Adam descendens, paterna generatione traducitur.* — Teste apostolo: per *unum* hominem peccatum in hunc mundum intravit" [2], per Adamum scil., qui solus prae Eva caput morale generis sui erat constitutus; et convenienter quidem, quia genus humanum magis continebatur in Adam quam in Eva, quia „in patra praeexsistit filius sicut in principio activo, sed in matre sicut in principio materiali et passivo" [3]. Igitur si solus Adam peccasset, non Eva, peccatum originale exsisteret eodem modo ac nunc, et si sola Eva peccasset, non daretur peccatum originale. Deinde quum homines peccatum originale contrahant, praecise quia procreantur ex Adam, in quo seminaliter seu secundum seminalem rationem continebantur, sequitur peccatum originale proprie traduci per generationem *paternam*, seu per semen paternum, quod originaliter est semen Adae [4]. Hinc concludunt theologi, si quis ex humana carne formaretur miraculose, i. e. absque semine virili, non contraheret peccatum originale; et ex hoc capite humana natura Christi, vi suae conceptionis, immunis erat a peccato originali. **256.**

Totam hanc doctrinam satis enuntiat CONC. TRID. dicendo: „Homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti, quum ea propagatione, per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant" [5].

Scholion 2. *De subjecto peccati originalis et causa instrumentali traductionis.* — Quum peccatum originale naturali generatione traducatur, naturalis autem generatio immediate et efficienter solum corpus producat, exsurgit quaestio, in quonam sit peccatum originale, utrum scil. in carne, an in **257.**

[1] *Ephes.* 2, 3. — [2] *Rom.* 5, 12. — [3] *S. Th.* I, II, 81, 5 ad 1. — [4] *S. Th.* l. c. 4. — [5] S. VI, cp. 3.

anima? Et respondemus: in anima, tamquam in subjecto; in carne vero, aut potius in semine corporali tamquam in causa instrumentali [1]. Sane peccatum originale est privatio culpabilis gratiae; quum autem sola anima possit esse subjectum gratiae; sanctificantis, ejus carentia pro sola anima rationem privationis habere potest; privatio enim et habitus ad idem subjectum referuntur. Igitur non corpus aut semen corporale, sed sola anima est subjectum peccati originalis.

Quum nihilominus per semen virile simul cum natura humana peccatum originale transfundatur in prolem, aliquo vero sensu dici potest, quod peccatum originale est in carne, seu potius in semine corporali, scil. tamquam in causa (non principali quidem, sic enim est in solo Adamo, sed) instrumentali.

Dico autem: potius in semine quam in carne jam formata, quia „semen est principium generationis, quae est proprius actus naturae ejus propagationi deserviens, et ideo magis inficitur anima per semen, quam per carnem jam perfectam, quae jam determinata est ad personam" [2].

258. **Scholion 3.** *Explicatur modus, quo peccatum originale per generationem propagatur.* — Ad faciliorem hujus rei intellegentiam duo sunt ob oculos habenda: **a.** peccatum originale non esse aliquam entitatem, sed privationem; **b.** terminum generationis esse unionem animae rationalis et corporis, hac enim unione constituitur homo: compositum ex anima et corpore. — Igitur res concipienda est, ut sequitur.

Quum originalis justitia in Adam universae familiae ex eo procreandae data esset, naturalis generatio ex primitiva Dei institutione positiva erat medium, quo simul cum natura gratia in filios Adae transfunderetur. Quoties igitur foetui, ex Adae semine formato, infusa esset anima rationalis a Deo creata, ipsa unio ad tale corpus gratiam in illa anima (instrumentaliter) causasset. Dico: „ipsa *unio ad tale corpus*",

[1] *S. Th.* l. c. 83, 1. — [2] *S. Th.* l. c. 81, 1, ad 4.

nova enim anima, non per suam creationem qua talem, sed praecise per suam infusionem seu unionem ad corpus ex Adamo seminatum, incipit esse de familia Adami: familiae autem Adae gratia erat impertita [1].

Jam per lapsum Adae naturalis generatio desiit esse causa instrumentalis gratiae; per consequens actus generationis amplius non valet nisi ad propagandam naturam humanam nudam, i. e. sine gratia. Nunc igitur animae, quae corporibus ex Adamo seminatis uniuntur, per illam unionem non amplius recipiunt gratiam, quam per eam deberent recipere, ac proinde statim ac iis corporibus unitae exsistunt, gratia sanctificante *privatae* inveniuntur; privatio autem gratiae filiis Adae peccaminosa est.

Hinc 1° Deus, creans et infundens animam, non est causa **259.** peccati originalis in prole. Deus creat animam in suo esse naturali tantum, i. e. sine gratia; sed carentia gratiae in anima, considerata praecise ut creata sed *nondum infusa*, est merus defectus (non privatio, nec peccatum). Deus creando infundit animam, sed creatio et infusio natura sua tendunt ad bonum, ut scil. generetur homo. Quod autem anima consequenter ad hanc infusionem maculetur, non est ex intentione Dei, sed ex culpa Adae [2]. Unum remanet, si Deus non crearet et infunderet novas animas, non propagaretur originale peccatum.

2° Parentes generantes non sunt causa peccati originalis

---

[1] Verum est, animam *eodem instanti* creari et infundi, sed nihilominus creatio realiter differt ab infusione, eamque *logice* praecedit. Finge e. g. Deum, dum Adam adhuc innocentur vivebat, ex quacumque materia, dummodo non ex semine Adae, corpus humanum formasse eique animam creando infudisse. Novus ille homo gratia sanctificante caruisset et haec carentia illi fuisset merus defectus (non privatio, nec peccatum). Quare? Quia illius anima, utpote non unita corpori ex Adam seminato, nulla ratione ad familiam Adae pertinuisset. Soli etenim familiae Adae Deus gratiam contulerat, ideo in solis hujus familiae membris gracia adesse debebat. Vides igitur, ex primitiva institutione animas non creatione, sed unione ad corpus ex Adam seminatum gratia donandas fuisse. — [2] Cfr. *S. Th.* l. c. **83, 1,** ad 4.

in prole. Actus generantium natura sua tendit ad bonum, ad transfundendam scil. naturam humanam in prolem. Quod autem gratia, quae simul deberet transfundi, de facto jam non transfunditur, non est ex voluntate horum parentum, sed ex culpa Adae. Iterum unum remanet: si homines non convenirent, non propagaretur peccatum originale.

3° Ex dictis tum actus generationis ex parte parentum, tum creatio et infusio animae ex parte Dei, sunt conditio sine qua non propagaretur peccatum originale. Videri igitur posset, quod hac saltem de causa, sive Deus, sive saltem parentes ab iis actibus abstinere deberent. Sed **a.** generatio novi hominis non includit novam offensam Dei; incipit exsistere novum membrum illius familiae, quae semel in suo capite morali Deum offendit; et nihil ultra. **b.** Ipsi proli melius est esse cum peccato originali, quam omnino non esse, praesertim quum per gratiam Christi possit salvari [1]. Nihil igitur obstat, quominus actus generationis sit bonus et, suppositis supponendis, meritorius, secundum illud: „Salvabitur autem [mulier nupta] per filiorum generationem" [2].

260. **Scholion 4.** *Ergo neque concupiscentia parentum peccatum transfundit, neque justitia parentum ejus transfusionem impedit.* — Assertio quoad utramque suam partem conficitur ex praedictis, unde ad solvendas tantum difficultates expresse statuitur.

1° Concupiscentiam, quam parentes in generationis actu experiuntur, esse causam proximam peccati originalis in prole, post reformatores, docuerunt Bajus et Jansenius, et quidem provocando ad s. Augustinum. Jam s. Augustinus, qui modum transfusionis peccati originalis satis explicare non potuit, unde etiam in traducianismum aliquatenus inclinabat, revera quandoque ita loquitur, ac si ex concupiscentia carnis propagaretur peccatum [3]. Quae doctrina recte omnino intellegi potest. Concupiscentia scil. eatenus vocari potest causa trans-

[1] Cfr. *S. Th.* l. c. ad 5. — [2] *I Tim.* **2**, 15. — [3] Cfr. v. g. *De nupt. et concup.* I, 23 et 24.

missionis peccati in prolem, quatenus generare cum concupiscentia (sive actuali, sive saltem habituali) in concreto idem est ac traducere humanam naturam sine gratia; nam ubi habetur generatio cum concupiscentia, ibi de facto habetur generatio in natura lapsa [1].

2° Baptizatos parentes non traducere peccatum originale in suam prolem, praeter alios, Calvinus collegit ex verbis apostoli: „Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt" [2]. **261.**

At „sanctitas", de qua hic agitur, non est intellegenda vera sanctitas interna: gratia sanctificans, sed sanctitas quaedam externa et remota: via scil. et praeparatio ad justificationem. Quis enim contendet, ex doctrina s. Pauli, maritum infidelem per solum connubium cum muliere catholica, absque baptismo, interne justificari? Mens igitur apostoli haec est: si compars infidelis absque contumelia creatoris cohabitare vult cum fideli, pars catholica discedere nequit. Nec putandum est, fidelem hoc in casu per infidelem maculari, quum potius infidelis sua cohabitatione cum fideli jam aliquatenus sanctificatur. Sicut enim filii parentum baptizatorum, antequam baptizentur, jam aliqua ratione sancti sunt ex eo, „quod quasi candidati sunt fidei" [3], ita compars infidelis, eo ipso quod pacifice cohabitet cum fideli, jam aliqua ratione remote sanctificatur, quatenus n. p. in via est ad fidem et justificationem [4].

Art. IV

De sequelis et poenis peccati originalis

Remanet ut dicamus de miseris effectibus, a peccato originali in genus humanum causatis. Effectus illi omnes habent rationem poenae, quamvis non eodem modo: alii enim sunt **262.**

[1] Cfr. *S. Th.* l. c. **82**, 3 ad 3; *In II Sent.* d. **31**, q. 1, a. 1, ad 3. — [2] *I Cor.* **7**, 14. — [3] Tertull. *Ad uxor.* II, 7. — [4] Cfr. Cornely, in h. l.

vindicativi tantum, alii etiam medicinales; alii remisso peccato statim auferuntur, alii etiam in justificatis, dum hic vivunt, remanent, etsi pro iis non amplius habeant rationem verae poenae (poenalitates).

Sermonem instituendo de poenis peccati originalis, directe spectamus effectus peccati in posteris Adae, non in ipso Adam. Licet enim, sicut ipsum peccatum, ita et poenae ex Adam in posteros derivatae sint, in nonnullis aliqua differentia admittenda est, quia Adam personalis peccati reus erat, nos vero originalis tantum.

Rem duplici prop. absolvemus, quarum prior erit de poenis praesentem vitam respicientibus, altera de poenis in vita futura subeundis.

263. PROP. I. **Per peccatum originale totus homo secundum corpus et animam in deterius commutatus est, naturalis tamen boni facultatem non amisit.**

Pars prior pravos effectus peccati comprehendit formula generali a conc. trid. et arausic. II mutuata [1]; pars altera indicat deteriorationis limitem, quem omnes catholici agnoscere debent.

Pars I probatur enumerando bona, quae homo per peccatum originale amisit; hinc enim sponte apparet, quantum deterior sit status hominis lapsi prae statu originali.

I. Amisit homo *gratiam sanctificantem cum virtutibus et donis annexis;* cessavit esse filius Dei adoptivus et haeres regni coelestis; factus est injustus et filius irae [2].

Nec mirum videatur, hominem sola labe originali infectum vocari filium irae. Deus utique non irascitur, sed per metaphoram alicui iratus esse dicitur, quando quis talia a Deo

---

[1] CONC. TRID. S. V, can. 1; CONC. ARAUSIC. cfr. DENZ. n⁰ 144. — [2] *Rom.* 5, 18—19. — Nemini mirum videatur, amissionem gratiae inter poenas peccati recenseri, quum antea dixerimus eam esse ipsam peccati essentiam; privatio gratiae, quatenus dicit aversionem hominis a Deo, est ipsum peccatum, quatenus dicit aversionem Dei ab homine, est poena peccati.

patitur, qualia homo ex ira infligere consuevit. Porro iram alicujus experiri jam dicitur, quando ab eo nobis subtrahuntur eae urbanitatis, benevolentiae, amicitiae testificationes, quas *pro conditione et habitudine nostra* ab eo recipere deberemus. Nonne pater aut amicus irati dicuntur, quando filio vel amico eam tantum benevolentiam exhibent, quae famulis aut peregrinis impertiri solent? Atqui Deus negando homini lapso gratiam sanctificantem, cet., reapse ei subtrahit eum amorem, quem homo secundum primitivam ordinationem a Deo recipere deberet.

2. Amisit *dona praeternaturalia*, unde subjectus est *concupiscentiae* [1], *morti* [2], atque multimodis hujus *vitae miseriis* [3].

3. Amittendo dona gratuita homo redactus est in *captivitatem et servitutem diaboli* [4]. In captivitatem quidem, quia e regno filiorum Dei expulsus, extra patriam retinetur in regno peccati, cujus princeps diabolus est, et ita quidem, ut non possit suis viribus inde reverti. — In servitutem autem, tum quia stimulum mortis et concupiscentiae, diaboli astutia inductum, subire cogitur, tum quia infestationibus et tentationibus diaboli obnoxius est, et ita quidem, ut ipsi, nisi gratia adjuvetur, moraliter impossibile sit ejus incitamentis semper resistere.

Ceterum dominatio daemonis haud illimitata est; neque putandum est, diabolum ex lapsu Adae sibi aliquid juris in homines acquisivisse: tyrannus est, cujus vexationibus genus humanum justo Dei judicio in poenam peccati subjectum est [5].

Pars II tenenda est contra Reformatores, qui induxerunt **264.**
„totalem corruptionem" naturae humanae, non substantialem quidem, sed ethicam, vi cujus homo lapsus cujuslibet boni operis incapax existeret. Ex eorum siquidem sententia, tota natura humana post lapsum tendit in malum, etiam voluntas, quae,

---

[1] *Gen.* 3, 7. — [2] *Gen.* 2, 17; 3, 19; *Rom.* 5, 12. — [3] *Gen.* 3, 16—19. — [4] CONC. TRID. S. V, can. 1; S. VI, cap. 1; cfr. *Colos.* 1, 13; 2, 15; *Hebr.* 2, 14.; *Luc.* 11, 21 seq. — [5] Cfr. hac de re SCHEEBEN, *Handb. d. kathol. Dogm.* II, § 204—205.

vera libertate indifferentiae carens, perversam inclinationem necessario sequitur [1]. Consentiunt fere Bajus et Jansenius.

Doctrina catholica probatur ex eo, quod nec revelatio talem corruptionem doceat, nec ratio eam patiatur. Cogita creaturam rationalem, absque sua culpa personali, orbatam omni facultate perficiendi bonum sibi conveniens! Praeterea tum fides tum ratio docent, voluntatem hominis, etiam qualis nunc nascitur, gaudere vera libertate, non solum a coactione sed etiam a necessitate naturae [2]. Hinc CONC. TRID.: „Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana invectum in ecclesiam; a. s." [3]. Ceterum de naturali hominis lapsi facultate perficiendi opera honesta ex professo sermo habetur in tract. *de Gratia*.

Verum quidem est, s. Augustinum aliosque patres saepius dicere, per peccatum amissam esse libertatem, seu liberum arbitrium [4]; sed intellegunt non naturalem libertatem indifferentiae, sed libertatem filiorum Dei: potentiam faciendi bonum absque difficultate, moralem possibilitatem implendi totam legem, facultatem perficiendi opera aeternae beatitudinis meritoria et ita perveniendi ad finem supernaturalem. Audiatur ipse AUGUSTINUS: „Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam. Propter quod

[1] *Cat. Heidelb.* qu. 8. „Maar zijn wij alzoo bedorven, dat wij ganschelijk onbekwaam zijn tot eenig goed, en geneigd tot alle kwaad? Ja wij; tenzij wij door den Geest Gods wedergeboren worden. — BAVINCK: „Terwijl hij [de gevallen mensch] wezenlijk en substantieel dezelfde, d. i. mensch, gebleven is en alle menschelijke bestanddeelen, vermogens en krachten behouden heeft, is van die alle de forma, de natuur en aard, de gezindheid en richting zoo veranderd, dat zij nu, in plaats van Gods wil, de wet des vleesches volbrengen ... Omdat de wil ook thans in den gevallen toestand krachtens zijn natuur niet anders dan vrij willen kan, kan hij niet anders willen dan wat hij wil, dan datgene waartoe hij van nature geneigd is" (*Gereform. Dogmatiek*, III, p. 83 et 151). — [2] Cfr. n⁰ 161. — [3] S. VI, can. 5. — [4] V. g. S. AUGUST. *Enchir.* c. 9, n⁰ 30: „Libero arbitrio male utens homo, et se perdidit et ipsum ..; victore peccato, amissum est liberum arbitrium". Cfr. DENZ. n⁰ 88.

natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, „Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis", utique liberi ad bene justeque vivendum. Nam liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime omnes, qui cum delectatione peccant et amore peccati, hoc eis placet quod eos libet" [1]. Et mox addit, homines non „necessitate suae carnis" peccare, sed voluntate. Idem AUGUSTINUS alibi monachos monet: „ut in fide sana catholica perseverent, quae neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam sive in bonam, neque tantum ei tribuit, ut sine gratia Dei valeat aliquid sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perficiat" [2].

Scholion. *De vulneratione naturae* [3]. — Ut funestos antiqui peccati effectus plenius explicent, theologi alludendo ad parabolam *Luc.* 10, 30, dicere solent, hominem per peccatum originale fuisse *spoliatum gratuitis et vulneratum in naturalibus*. Praeter mortalititem et passibilitatem, quae directe corpus respiciunt, quatuor enumerantur vulnera animae, duo in parte rationali et duo in parte sensitiva, considerata non secundum se, sed in sua habitudine ad voluntatem rationalem. **265.**

a. In intellectu est vulnus *ignorantiae:* intellectus factus est debilior et minus expeditus ad cognoscendum verum, praesertim ubi agitur de considerandis rebus divinis, necnon de discernendo, quid in concreto sit honestum, quid non [4].

b. In voluntate est vulnus *malitiae*: vigor voluntatis ad bonum imminutus est, ita ut facile declinet ad malum, bonum vero non nisi difficulter operetur.

c. In irascibili [5] est vulnus *infirmitatis*, quatenus potentia

---

[1] *Contra 2 Ep. Pelag.* I, 2, 5. — [2] *Ep. 215 ad Valent.* 4. — [3] Cfr. *S. Th.* I, II, 85; — observa tamen s. Doctorem agere de effectu peccati in genere, ergo etiam de sequelis peccati personalis. — [4] S. AUGUST.: „Subintravit ignorantia rerum agendarum" (*Enchir.* 8, 24); S. THOM.: „Ratio hebetatur praecipue in agendis" (l. c. 85, 3, c.). — [5] S. THOMAS: „Necesse est, quod in parte sensitiva sint duae appetitivae potentiae: una per quam anima simpliciter

irascibilis minus fortis est ad superanda obstacula, quae a bono convenienti impediunt, ita ut difficulter obediat rationi, laborem et certamina pro virtute injungenti.

d. In concupiscibili est vulnus *concupiscentiae* (in sensu strictissimo), quatenus appetitus concupiscibilis in bonum sensibile fertur immoderate, i. e. ante vel contra arbitrium rationis [1].

266. Haec communi quidem consensu admittuntur, sed non eodem modo ab omnibus exponuntur; alii n. p. docent, vulnerationem naturae, totam quanta est, absolvi donorum praeternaturalium ablatione; alii insuper ponunt, aliquid detractum esse de viribus stricto sensu naturalibus.

267. *Prima sententia* tenet, omnia ad naturam humanam (stricte dictam) pertinentia integra mansisse, hominem lapsum aequalibus pollere viribus, quibus instructus fuisset homo in puris naturalibus conditus; solum periisse robur et integritatem, quam protoparentes habuerunt ex donis superadditis, unde secundum celebrem Cajetani comparationem, homo lapsus (praecisione facta ab ipsa culpa originali) non magis differt ab homine in puris naturalibus, quam differt exspoliatus ab eo, qui fuit nudus ab initio [2].

En quomodo in hac sententia vulneratio naturae et singula vulnera explicantur. Humana natura *historice* sumpta, natura *instituta*, i. e. qualis de facto erat in protoparentibus, praeternaturali perfectione aucta, admirabili gaudebet sanitate, quia per donum integritatis inferiores vires animae perfecte continebantur sub ratione. Subtracto dono gratuito, eo ipso cessavit perfecta, quam causabat, virium harmonia, et intravit status

inclinatur ad prosequendum ea, quae sunt convenientia secundum sensum, et ad refugiendum nociva; et haec dicitur *concupiscibilis*. Alia vero per quam animal resistit impugnantibus, quae convenientia impugnant et nocumenta inferunt: et haec vis vocatur *irascibilis*". *S. Th.* I, 81, 2. — [1] S. AUGUSTINUS tria vulnera in potentiis appetitivis: malitiam, infirmitatem, concupiscentiam, comprehendit sub uno, n. p. *difficultate*, quia „ex his tribus contingit, quod aliquis non facile tendit in bonum". Cfr. *S. Th.* l. c. 85, 3, ad 5. — Quatuor naturae vulnera aliquatenus saltem curant virtutes cardinales: prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. — [2] *In Summ. Theol.* I, II, 109, 2.

ille declivior, in quo inferiores vires in suum objectum tendere possunt ante vel contra arbitrium rationis, intravit pugna intestina, qua homo veluti in diveras partes scinditur. Ipsa igitur subtractio doni integritatis constituit vulnerationem naturae (non philosophice, sed) historice spectatae. Vides effatum: „spoliatus gratuitis et vulneratus in naturalibus" in hac sententia non duplicem stragem significare, sed unam sub duplici ratione consideratam: subtrahuntur gratuita, relinquitur natura praeternaturali sanitate orbata, et hoc sensu vulnerata.

Subtracto dono integritatis appetitus concupiscibilis potest moveri, et quandoque movetur contra arbitrium rationis: vulnus *concupiscentiae* (strictissime sumptae). Concupiscibilis, inordinate appetendo bonum delectabile, inordinate fugiendo malum sensibile, retardat et impedit irascibilem, quia difficultates superandae concupiscibili repugnant: vulnus *infirmitatis*. Voluntas rationalis, motibus inordinatis inferioris appetitus allecta, in sensibilia plus aequo propendet, ac proinde minus expedita est ad bonum sectandum: vulnus *malitiae*. Denique intellectus, et passionibus obnubilatus, et corpore quod corrumpitur aggravatus, difficulter superna considerat, et facile errat praesertim in judicio de agendis: vulnus *ignorantiae*. — Vides omnia vulnera reapse comprehendi sub una concupiscentia, qualem eam supra (n° **199**.) descripsimus.

Altera sententia, putans statum deteriorem, in quo humanum genus per peccatum originale devenit, per solam subtractionem donorum gratuitorum non satis explicari, praeterea admittit vulnerationem naturae, *philosophice* sumptae, per diminutionem intrinsecam virium stricto sensu naturalium. Dico: „per diminutionem *intrinsecam*", qua ipsae naturales nostrae potentiae debiliores factae sint in ordine ad bonum honestum. Nam diminutio extrinseca, per causas externas: impugnationem daemonis et carentiam abundantioris auxilii naturalis, quod in alio providentiae ordine adfuisset [1], etiam a defensoribus primae sententiae, plerisque saltem, admittitur. **268.**

[1] Cfr. n° **214**.

Secundam sententiam propugnarunt e. g. Thomas de Lemos, Contenson, Sylvius [1], Gazzaniga [2], et nostris temporibus praesertim Fr. Schmid [3].

269. Primam sententiam, quae omnino videtur genuina mens S. Thomae [4], tenent v. g. Cajetanus [5]. Suarez [6], Bellarminus [7], cum omnibus fere auctoribus modernis. Et merito quidem, nam:

a. Deterioratio illa, quam secunda sententia defendit, ex fontibus revelationis non satis probatur. Formulae: „vulneratus in naturalibus", „natura vulnerata", cet. quae apud patres et antiquos doctores frequenter occurunt, attendo modo loquendi illorum, temporum, intellegendae sunt de natura instituta, i. e. de natura historice, non philosophice sumpta. Ipse jam Augustinus agendo contra Pelagianos monuit, se nomine naturae saepius intellexisse, „naturam talem, qualis sine vitio primitus condita est", „illam, quae proprie natura dicitur, in qua sine vitio creati sumus" [8].

b. Haud facile explicatur, qua ratione et per quam causam intrinseca virium debilitatio facta esset. Non potest esse sequela connaturalis actus peccaminosi Adae, secundum eum modum, quo v. g. parentes luxuriosi et ebriosi nonnumquam malem dispositionem corporis et consequenter pronitatem ad certum genus peccati in prolem transfundunt. Quomodo enim unicus et brevis Adae actus hujusmodi dispositionem in universam suam progenituram naturaliter causasset. Multo minus peccatum Adae malum habitum in posteris causare potuit. Restat igitur ut dicatur, ipsum Deum directe vires naturales hominis

---

[1] *In Summam Theol.* l, II, 85, 3. — [2] *Prael. Theol.* T. IV, diss. 3, s. 3, c. 6. — [3] *Quaestiones selectae.* (1891) p. 321. — [4] *S. Th.* I, II, 85, 3, cfr. 5: *In II Sent* d. 31, q. 1, a. 1 c.; *De Malo*, 5, 2, c.; *Comp. Theol.* 195. Textum ultimo loco indicatum exscribimus: „Post peccatum primi parentis omnes absque originali justitia et cum defectibus consequentibus sunt exorti. Nec hoc est contra ordinem justitiae, quasi Deo puniente in filiis quod primus parens deliquit, quia ista poena *non est nisi* subtractio eorum, quae supernaturaliter primo homini sunt concessa, per ipsum in alios derivanda". — [5] *In Summ. Theol.* I, II, 85, 3 et 109, 2. — [6] *De Gratia*, Proleg. IV, c. 8, n⁰ 5. — [7] *De Gratia primi hominis*, c. 5. — [8] *Retract.* I, 10, 3; 15, 6.

ad bonum diminuisse. Sed haec assertio ita dura est, ut cum bonitate Dei difficultur componatur, unde vix aliquis ex adversariis rem ita explicare audet. Putamus igitur ominno assentiendum esse S. THOMAE dicenti: „quod autem detrimentum patiatur [aliqua persona] in his, quae sunt naturae hoc, non videtur posse contingere nisi propter vitium proprium personae" [1].

Qua de vulneribus animae dicta sunt, etiam applicantur vulneribus corporis: mortalitati et passibilitati. Qui enim tenent vires animae naturales non esse diminutas, similiter ponunt, hominem lapsum ratione *solius* peccati originalis non plures nec majores miserias subire, quam subiisset homo in puris naturalibus.

Ad quaestionem, quare motus concupiscentiae valde inaequales sint in diversis hominibus, quum vulneratio naturae eadem sit in omnibus, S. THOMAS respondet: „Soluto vinculo originalis justitiae, sub quo quodam ordine omnes vires animae continebantur, unaquaeque vis animae tentit in suum proprium motum, et tanto vehementius quanto fuerit fortior. Contingit autem vires aliquas animae esse fortiores in uno quam in alio, propter diversas corporis complexiones. Quod ergo unus homo sit pronior ad concupiscendum quam alter, non est ratione peccati originalis, cum in omnibus aequaliter solvatur vinculum originalis justitiae et aequaliter in omnibus partes inferiores animae sibi relinquantur, sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum" [2]. — Eodem modo explicatur inaequalitas quantum ad defectus corporales [3]. **270.**

PROP. 2. **Animae, cum solo peccato originali decendentes, in aeternum privantur beatitudine supernaturali.** **271.**

Agendo de poena originalis peccati in altera vita, eas tantum spectamus animas, quae sola originis labe inficiuntur, quales sunt infantes, ante usum rationis sine baptismo decedentes, et qui his aequiparuntur, amentes scil. et qui tam tenuis ingenii sunt, ut moraliter in statu infantili permanse-

[1] *De Malo*, 5, 2, c. — [2] *S. Th.* I, II, 82, 4, ad 1. — [3] L. c. 85, 5, ad 1.

rint [1]. Quicumque enim ad perfectum rationis usum perveniunt, aut, sese cum auxilio gratiae ad Deum convertendo, justificantur, aut a gravi peccato personali immunes non erunt.

Jam de sorte animarum, peccato originali infectarum, unum est *de fide:* eas beatitudine supernaturali, seu visione Dei intuitiva carere, definivit siquidem CONC. FLORENT. „Illorum animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas" [2]. Qui autem in inferno descendit puniendus, utique coelesti beatitudine privatur. — Cetera vero omnia inter ipsos catholicos libere disputantur, de quibus in scholion.

272. *Probatur.* 1° Ex *s. Scriptura*, quae, quamvis de sorte harum animarum in specie nihil doceat, eas aperte a coelesti gloria excludit, dicendo: „Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei" [3].

2° Ex *Traditione.* Audiatur e. g. S. AUGUSTINUS: „Quisquis dixerit, quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari omnino non posse" [4]. Consonat INNOCENTIUS I: „Parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est" [5].

---

[1] De quaestione, num et quomodo infantes sive ante, sive post Evangelium promulgatum, a peccato originali purgari queant absque baptismo aquae, dicetur in tract. *De Sacramentis;* hic enim unice agitur de iis, quibus de facto peccatum originis in hac vita non est remissum. Opiniones autem eorum, qui pro quibusdam hominum classibus inducere conati sunt stadium probationis post mortem, negligimus; nisi enim ad casum extraordinarium privilegii restringantur, cum doctrina catholica componi non posse videntur. Cfr. FR. SCHMID, *Die auszerordentlichen Heilswege für die gefallene Menschheit*, (1899), p. 6—42. — [2] DENZ. n° 588; cfr. CONC. TRID. S. V, can. 4. — [3] *Jo.* 3, 5. — [4] *Ep.* 166 n° 21. — [5] *Ep. ad Conc. milev.* I, n° 5 (inter *Ep. S. August.* Ep. 182).

3° *Ratione theologica.* Nemo ad visionem Dei pertingere potest, nisi ad eam gratia sanctificante disponatur; atqui animae originali labe foedatae gratia carent; ergo [1].

Scholion. *De sorte animarum, cum peccato originali decedentium, quaestiones reliquae.* **273.**

1° *Num patiantur poenam sensus?*

Affirmant aliqui Patres latini [2], duce Augustino, qui tamen saepius repetit, illas animas poenam „omnium mitissimam" [3] subire, quinimo de qualitate poenae positivae anceps haerebat: „Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quae, qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod iis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret" [4]. Huic sententiae praeter Augustinenses, adstipulavit Petavius [5].

Negant post s. Greg. Nazian. [6], Lombardus [7], s. Thomas [8], s. Bonaventura [9], Scotus [10], et posteriores theologi communissime. Argumenta sunt: **a.** Peccato personali mortali ideo praeter poenam damni debetur poena sensus, quia in eo invenitur duplex deordinatio: aversio a Deo, quae punitur per carentiam visionis Dei, et conversio ad creaturas, propter quam infligitur poena sensus. Atqui in peccato originali habetur quidem aversio a Deo, fine supernaturali, non vero conversio ad creaturam [11]. — **b.** Poena sensibilis debetur delectationi culpabili, quam quis peccando quaesivit, secundum illud: „Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum" [12]. Atqui in peccato originali nulla fuit delectatio [13].

---

[1] Cfr. S. Thom. *De Malo*, 5, 1, c. — [2] V. g. S. Fulgent. Rusp., *De fide ad Petrum*, c. 3, n° 34 et c. 27, n° 68; S. Greg. M. *Moral.* IX, c. 21. — [3] *Enchir.* c. 23, n° 93; *De pecc. mer. et remiss.* I, 16, 21. — [4] *Cont. Julian.* V, 11, 44. — [5] *De Deo*, l, IX. c. 10. — [6] *Or. 40 in s. baptism.* 23. — [7] *Sent.* II, d. 33, 5. — [8] *In II Sent.* d. 33, q. 2, a. 1; *de Malo*, 5, 2; *S. Th.* III, 1, 4, ad 2. — [9] *In II Sent.* d. 33, a. 3, q. 1. — [10] *In II Sent.* d. 33. — [11] Cfr. S. Thom. *De Malo*, 5, 2, c. — [12] *Apoc.* 18, 7. — [13] S. Thom. l. c. 3.

274. Huic sententiae aperte favet magisterium ecclesiasticum, ut patet ex decreto INNOCENTII III: „Poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus" [1], Patet etiam ex damnatione prop. 26 syn. pistor.: „Doctrina, quae velut fabulam pelagianam explodit locum illum inferorum (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant), in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni, citra poenam ignis, puniantur; perinde ac si hoc ipso, quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani: falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa" [2].

Nec obstat conc. florent. supra laudatum, nam **a**. vox „infernus" non necessario ignem damnatorum significat, quum apud antiquiores theologos omnis locus animarum extra coelum „inferni" nomine veniat [3]; **b**. terminus „poenis disparibus" diversitatem non gradus sed speciei exprimere videtur [4]. Ceterum quis credet, conc. florent. damnasse sententiam tum ante tum post illud concilium communissimam inter theologos.

Objicitur sententia judicii extremi, universos aut in regnum aut in ignem aeternum transmittens [5]; sed quum in tota judicii descriptione sermo sit de solis adultis, propria merita aut demerita habentibus, etiam sententia solos adultos spectare dicenda est. Unde S. THOMAS: „Etiam pueri, ante perfectam aetatem decedentes, in judicio comparebunt [quod tamen non ab omnibus admittitur], non autem ut judicentur, sed ut videant gloriam judicis" [3].

275. 2. *Num tristitiam habeant de carentia coelestis gloriae?*

[1] DENZ. n⁰ 341. — [2] DENZ. n⁰ 1389. — „Hinc consequitur, ait HURTER, negantem sententiam saltem esse doctrinam *sanam*, neque enim ecclesia doctrinas male sanas scholarum catholicarum adversus censuras, licet injustas, tuebitur solemniter" (*Opusc. SS. Patrum*, XVI, p. 212). — [3] Ita v. g. s. Thomas quadruplicem ponit „infernum": locum damnatorum, limbum puerorum, purgatorium, limbum patrum. *In III Sent.* d. 22, q. 2, a. 1. qu. 2. — [4] Cfr. HEINRICH, *Dogm. Theol.* VI, p. 826. — [5] *Mt.* 25, 41. — [6] *S. Th. Suppl.* 8, 9.

Affirmant nonnulli etiam ex iis, qui poenam sensus excludunt, e. g. Bellarminus [1]; qui tamen censent, dolorem illum fore „levissimum mitissimumque". His nostro tempore consentit praesertim Fr. Schmid [2].

Negant alii communius com S. THOMA, secundum quem: „Nulla ratio videtur esse, quare subtrahatur eis exterior poena sensus, si attribuitur eis interior afflictio, quae est multo magis poenalis" [3]. Et censet S. Thomas, infantes ideo non tristari de privatione tanti boni, quia illud non cognoscunt. Revera nemo per sua naturalia cognoscere potest vel possibilitatem visionis beatificae, multo minus propriam destinationem ad talem finem [4]. Si extremo judicio intererunt, intellegent quidem, alios homines pro meritis a Deo praemiari et puniri; sed, quum sciant occasionem merendi sibi citra propriam culpam defuisse, de carentia talis praemii non magis dolebunt, quam dolet sapiens rusticus, quod non accipiat imperium. Nemo enim sapiens affligitur carentia boni, quod suam proportionem excedit [5].

3. *Num gaudeant de bonis naturalibus?* **276.**

Negant plures, ideo potissimum quod putent, animam originali labe infectam versari in statu aversionis a Deo, non tantum ut est finis supernaturalis, sed etiam in quantum est finis naturae; quod tamen non videtur admittendum.

Affirmant s. Thomas, Suarez [6], Lessius [7] et alii communius. „Quamvis, ait AQUINAS, pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo ei conjunguntur per participationem naturalium bonorum, et ita etiam de ipso gaudere poterunt naturali cognitione et dilectione". Et

---

[1] *De amiss. gratiae* l. VI, c. 6. — [2] *Quaest. select.* p. 278 seq.; lege, quae in contrarium observat PESCH. *Prael.* III, n⁰ 295. — [4] *De Malo* 5, 3, c.— Consentit S. Bonaventura, qui tamen putat pueros nec tristari nec laetari (*In II Sent.* d. 33, a. 3, q. 2). — [4] Cfr. *de Malo*, l. c. — [5] Cfr. S. THOM. *In II Sent.* d. 33, q. 2, a. 2, c. — [6] *De Pecc. et Vit.* disp. 9. s. 6 (apud PESCH. l. c. n⁰ 293). — [7] *De perfect div.* l. 13, c. 22, n⁰ 144 seq.

„gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate et perfectionibus naturalibus" [1].

Secundum hanc igitur sententiam animae, de quibus agimus, in infima mensura participes erunt illorum bonorum, quorum fruitio constituisset beatitudinem finalem hominis in statu naturae purae. Fundamentum autem praecipuum sententiae mitioris, non solum in hoc puncto, sed etiam quantum ad exclusionem omnis poenae sensus omnisque tristitiae, est principium, quod naturalia hominis per peccatum originale non minuantur, secundum illud S. THOMAE; „Quia in pueris non est peccatum personale non debetur eis, ut detrimentum aliquod patiantur in naturalibus bonis" [2].

277. Censemus igitur, sortem animarum cum solo peccato originali decedentium *materialiter* non differre a statu felicitatis naturalis, quam habuissent, si in puris naturalibus fuissent conditae. Exinde tamen non sunt dicendae, assequi finem suum naturalem; quum enim genus humanum ad finem supernaturalem destinatum sit, nullus hominum finem naturalem habet, sed quicumque gloriam coelestem non assequitur, fine suo simpliciter frustratur.

Ceterum, admissa etiam benigniori sententia, praedictae animae Deo in aeternum displicent, et in poenam originalis peccati ab inaestimabili bono aeternae beatitudinis excluduntur. Hinc recte dicuntur in aeternum damnari, et puniri, poena objective gravissima, subjective vero mitissima [3]. Et quum damnum illud enorme subeant ex astutia diaboli, qui genus humanum in protoparente superavit, iterum recte dicuntur exsistere sub captivitate, esse in regno diaboli. Sub captivitate quidem, quia diabolus eos coelestis patriae in aeternum fecit extorres: in regno autem diaboli, quia diabolus in omnes, qui suasionibus ejus obediendo e regno Dei exciderunt, principem locum obtinet.

---

[1] *In II Sent.* d. 33, q. 2. a. 2, ad 5 et c.; cfr. *de Malo*, 5, 3, ad 4. — [2] *De Malo*, 5, 3, c. — [3] Cfr. S. THOM. *de Malo*, 5, 1, ad 3; et 3, ad 3.

EPILOGUS

Libenter fatemur, peccatum originale, magnum illud „mysterium iniquitatis", ab omni obscuritate purgari non posse; attamen nisi quis sententiis severioribus, quas ecclesia non imponit, adhaerere voluerit, cum justitia et bonitate Dei non ita difficulter conciliatur. Etenim : 278.

a. Peccatum originale ex omni parte habet rationem *privationis*; privat autem tum in hac vita, tum postea, bonis pretiosissimis quidem, sed plane *indebitis*. Atqui bonorum gratuitorum subtractio, etiam citra culpam personalem, nullo modo injusta est [1].

b. Ordinatio divina, qua Adam constituebatur caput morale generis sui, non in perniciem sed *in favorem* humanitatis facta erat, ut scil. universum genus humanum eximia gratiae dona sibi appropriaret, idque per observantiam praecepti ita facilis, ut ipsa ejus levitas rationalistis scandalo sit.

c. Deus ruinam generis humani in Adamo permisit, ut ex magno malo *majus bonum* eliceret. Sane genus nostrum peccato perditum non dereliquit, sed statim post lapsum promisit Semen mulieris, Christum, novum Adam, qui copiosa redemptione omnia felicius restauraret. Unde S. BERNARDIUS: „Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus et mulier una nocuerunt, sed, gratias Deo! per unum nihilominus virum et mulierem unam omnia restaurantur, *nec sine magno fenore gratiarum*. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo" [2].

---

[1] S. THOM. *Comp. Theol.* c. 195. — [2] *Serm. de 12 praerog. B. V. M.* n⁰ 1.

INDEX ANALYTICUS

DE DEO CREATORE.

Pag.

SECTIO I. De creatione generatim 1
CAPUT I. De productione creaturarum a Deo 2
ART. I. De productione creaturarum ex nihilo 2
ART. II. De formatione mundi corporei ex materia creata . . 14
§ 1. De cosmogonia biblica 14
§ 2. De evolutionismo 26
CAPUT II. De providentia Dei naturali 31
CAPUT III. De ordine supernaturali in abstracto 48
ART. I. De notione et divisione boni supernaturalis 49
ART. II. De ipso ordine supernaturali 53
ART. III. De peccato 60
SECTIO II. De Angelis 67
ART. I. De Angelorum exsistentia, distinctione, natura . . . 68
ART. II. De Angelorum elevatione et lapsu 80
ART. III. De Angelorum cum hominibus commercio 85
SECTIO III. De Homine 96
CAPUT I. De Hominis natura et origine 96
ART. I. De Hominis natura 96
ART. II. De Hominis origine 113
CAPUT II. De Hominis elevatione statum supernaturalem . . . 132
CAPUT III. De Hominis lapsu et peccato originali 150
ART. I. De peccato originante 151
ART. II. De existentia peccati originalis 156
ART. III. De natura et transfusione peccati originalis 165
ART. IV. De sequelis et poenis peccati originalis 181
Epilogus 195
Index alphabeticus 196

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri indicant paginas)

Adam, origo nominis, 115; ejus creatio, 113 seq.; omnium pater, 121; ejus scientia, 143; caput morale generis sui, 171; vide *protoparentes*.

Allegorismus, 24.

America, quomodo incolas accepit, 124.

Angelus, quid, 67; exsistentia, 68; quandonam creati, 69; sunt plurimi, inaequales, in novem ordines distributi, 70 seq.; undenam singuli ordines differant, 72 et 73; ordinum series, 72; tres hierarchiae, 72; angeli sunt spiritus puri, 73; undenam nonnulli antiqui iis corpora tribuerint, 74, 75; apparitiones angelorum, 75; quo sensu aliquando corpus assumant, 75; sunt natura immortales, 76; quomodo sint in loco, 76; quaenam eorum cognitioni impervia sint, 78; locutio, 78; agere possunt in res corporeas, 79; in animas hominum, 80; non sunt creati in beatitudine supernaturali, 82; viatores ad statum supernaturalem evecti, 82; gratia sanctificante insigniti, 82; multi visionem beatificam adepti sunt, 81; alii peccaverunt et damnati sunt, 81; quot peccaverunt 83; quo peccato, 84; non fuit iis poenitendi occasio, 84; eorum vires naturales non diminutae, 85; in terris vagantur ad tentandum homines, 81; num cuilibet homini adjunctus sit malus angelus, 91.

Angeli custodes 85 seq.; eorum officium, 87; beneficia, 88; quid iis debeamus, 88, 89; — societatum, 88; num angeli praesint creaturis materialibus, 89; doctrina de angelis custodibus non mutuata a platonicis, 89; non obscurat providentiam Dei, 89.

Anima cum compore unam naturam constituit, 98; est forma corporis, 99; controversia hac de re, 100; — intellectiva est individualis, 103; substantia, 103; spiritualis, 104; libera, 106, 183; immortalis, 107; ejus origo, 127, simul creatur et infunditur, 132; est imago Dei, 112; ejus conditio in scheol, 110.

Animae cum solo pecc. origin. decedentes, quaenam, 188; visione Dei beatifica privantur, 188; num patiantur poenam sensus, 190; num tristentur de carentia gloriae, 192; num gau-

deant de bonis naturalibus, 192; num finem naturalem assequantur. 193.
Anima et spiritus, num et quomodo differant in Scriptura, 102.
Animalia eorum adductio ad Adam, 144.
Animismus, non inveniuntur vestigia — in Scriptura, 109.
Annihilatio, quid, 33.
Apparitiones angelorum, 75.
Arbor scientiae boni et mali, 153; vitae, 140.
S. Augustinus de cognitione matutina et vespertina, 11; expositio hexaëmeri, 17; de stultitia eorum qui in hoc mundo reprehendunt ea, quorum causas ignorant, 42; non favet evolutionismo homini applicato, 116, 117; num formationem Evae figurate intellexerit, 116; propendebat in traducianismum, 128; de felicitate in paradiso, 141; quo sensu dona protoparentum naturalia dixerit, 148; quo sensu doceat liberum arbitrium per peccatum esse amissum, 183; animas cum peccato originali decedentes poenae sensus subjicit, 190.
Aversio a Deo, quae est de ratione peccati originalis, qualis sit, 168.

Bajus, prop. damnatae, quae in ejus libris impressis non inveniuntur, 148.
Barbaries non est conditio primitiva hominis, 146.
Bavinck immerito asserit angelologiam apud catholicos corrumpete religionem, 82; de corruptione hominis per peccatum originale, 183.
Bonomelli; Illmus — hypothesim de evolutione corporis humani retractavit, 114.

Caïn, quomodo ultores timere, uxorem ducere, civitatem aedificare potuerit, 122.
Calamitates justorum non probant contra providentiam, 46.
Calvinus fatetur, S. Augustinum concupiscentiam non habuisse peccatum, 166; putavit parentes justificatos non transfundere peccatum originale, 180.
Captivitas sub diabolo, 182, 193.
Casuale nihil est respectu Dei, 40.
Chronologia biblica antiquissima quam incerta, 125.
Cicero de origine aerumnarum hujus vitae, 165.
Co-adamitae, 121.
Cognitio matutina et vespertina, 11, 17.
Cognitio angelorum, 77; quid eos lateat, 78.
Commissio pontif. de re biblica, 114.
Concordismus, 22.
Concupiscentia, quid, 135; actualis et habitualis, 136; est naturalis, 137; non fuit in protoparentibus, 138; ex peccato est, 138; non est essentia peccati originalis, 166; quare dicatur materiale pecc. originalis, 175; — parentum quo sensu dici possit traducere pecc. originale, 180; — quare inaequalis in diversis hominibus, 188; vide *vulneratio naturae.*
Concursus naturalis explicatur,

33, 35; probatur, 34; non aufert libertatem, 35; non facit Deum causam peccati, 36; simultaneus an praevius, 36.
Conservatio rerum qualis, 31; probatur, 32; est creatio aequivalens, 33.
Corluy docet, evolutionem specierum a Scriptura non excludi, 29.
Corpus et anima unam naturam constituunt, 98, 99.
Corruptio totalis naturae humanae, quam docebant reformatores, 182.
Cosmogonia biblica, vide *hexaëmeron*.
Creare, quid, 2; solius Dei est, 6, 7.
Creatianismus, 128.
Creatio prima et secunda, 2, 3; ex materia invisa, 5; fuit libera, 7; facta in tempore, 8.
Creatura creans, num repugnet, 6, 7; — rationalis finis proximus creaturae materialis, 13.

Daemones, vide *diabolus*.
Darwinismus vide *evolutionismus*.
Desiderium innatum et elicitum, 57; non datur in homine desiderium innatum visionis Dei, 58.
Deus creavit mundum solus, 6; libere, 7; in tempore, 8; ut est unus essentia, 9; secundum aeternas suas ideas, 10; ad suam gloriam, 11; non causat peccatum originale in anima, 180.
Diabolus, nomina, 83; ejus vires naturales non diminutae, 85; hominibus insidiatur tentatione, 89; infestatione, 91; operatione magica, 93; quo sensu ejus potestas per Christum fracta, 94; captivitas et servitus diaboli, 182, 193.
Dionysius (vulg. Areopag.) de angelorum choris, et hierarchiis, 72; de actione superiorum angelorum in inferiores, 79.
Dominium privatum, num fuisset, si Adam non peccasset, 143; non est contra primam intentionem juris naturae, 143.
Dona praeternaturalia protoparentibus data, 135 seq.; habitudo ad gratiam sanctificantem, 142; per peccatum deperdita, 182, 185; quo sensu aliquando vocantur naturalia, 148.

Elohim; vox — non arguit pluralitatem subjectorum, 113.
Emanatismus, 127.
Energumeni, ratio nominis, 91.
Eva, ejus formatio quomodo intellegenda, 116, 120; vide *protoparentes*.
Evolutionismus, 26; materialisticus, 27; spiritualisticus, 28; pro formatione humani corporis, 113 seq.; homini applicatus non est opinio scientifice probabilis, 120.

Fatum, num sit, 41.
Felicitas creaturae rationalis finis secundarius creationis, 13; — malorum componitur cum divina providentia, 46; — protoparentum in paradiso, 140.
Finis Dei creantis, 11; — creaturarum primarius, 11; — creaturarum secundarius, 13.
Filii Dei *Gen.* **6**, 2 non sunt angeli, 75.
Fomes peccati, 136.

Fortuitum non datur respectu Dei, 40.
Franzelin de differentia status naturae purae et lapsae, 150.
Frohschammer erravit circa originem animae, 128.

Generatio paterna pecc. origin. traducit, 176; modus explicatur, 178.
Generatio spontanea admitti nequit, 28; — apud S. Patres, 30.
Generatianismus, 128; objectionis 130.
Genus humanum ab uno protoparente descendit, 121; ejus antiquitas, 125; in Adam ad statum supernaturalem evectum, 133; praeternaturalibus donis ditatum, 135 seq.
Gloria Dei interna, externa; objectiva formalis, 12 — finis mundi, 12.
Gratia sanctificans, quid, 59; dispositio ad ejus infusionem, 60; semper infunditur subjecto in ultima disposione constituto, 60; protoparentibus data, 132; habitudo ad dona praeternaturalia, 142; quo sensu fuerit iis naturalis, 50, 148; per peccatum Adae perdita, 152; 182.
S. Gregorius M. de ordinibus angelorum, 72.
Gubernatio Dei, quid. 38, probatur, 38.

Hermes putavit, finem mundi non esse gloriam Dei, 13.
Hexaëmeron, neque norma dogmatica, neque leges hermeneuticae liberiori expositioni obstant, 16, 17; interpretatio S. Augustini, 17; solam causam primam memorat, non necessario excludendo causas secundas, 18; ejus schema artificiosum, 18; ejus origo, 20; quid certo doceat, 20; expositio litteralis, 21; periodistica seu concordistica, 22; idealis diversimode proposita, 23; quinam ex patribus ei praeluserint, 23; multum praestat cosmogoniis gentium, 20.
S. Hieronymus de modo loquendi S. Scripturae, 15.
Historia lapsus Adae diversimode accipitur, 152.
Hoberg, de adductione animalium ad Adam, 144.
Homo constat corpore et anima intellectiva, 96; est imago Dei, 112; spoliatus gratuitis et vulneratus in naturalibus, 184; vide *protoparentes*.
Hummelauer, visionistarum princeps, 25; docet evolutionem specierum a Scriptura non excludi, 29, 30; de formatione Evae, 116.

Idea exemplaris, quid, 10; quo sensu dentur in Deo plures ideae, 10.
Idealismus, 24.
Ignorantia, vulnus ignorantiae, 184, 186.
Imago Dei in homine, 112.
Immunitas a concupiscentia, vide *integritas*; a necessitate moriendi, 139; a dolore, 140.
Immortalitas animae, 107; in vet. Testamento, 108; Ecclesiastes de ea non dubitavit, 111; — primi hominis, 139; quomodo causabatur, 140.

Inaequalitas in distributione bonorum temporalium nihil probat contra divinam providentiam, 46.
Infantes cum peccato originali decedentes, vide *animae*.
Infernus quadruplex, 191; vide *Scheol*.
Infestatio diabolica, quid, 91.
Infirmitas; vulnus infirmitatis, 184, 186.
Inspiratum per accidens, quid 14.
Integritas primi hominis, quid, 136; est praeternaturalis, 137; fuit in protoparentibus, 138; erat in posteros transfundenda, 138; quomodo efficiebatur, 138; quo sensu aliquando dicebatur iis naturalis 50, 148.

Kaulen in septenarium numerum ordinum angelicorum propendit, 72.

Lagrange de hexaëmero, 24, 25; de origine nominis Adam, 115; de formatione Evae, 116; de adductione animalium ad Adam, 144; de narratione *Gen.* 3, 153.
Lapsus protoparentum; narratio *Gen.* 3 diversimode intellegitur, 152.
Leo XIII de modo quo Scriptura sensibilia refert, 15.
Leroy sententiam suam de evolutione pro corpore humano, retractavit, 114.
Lex divina quaedam primaria, quaedam secundaria intentione prohibet, 63.
Libertas Dei in creando, 7.
Libertas arbitrii, 106; per peccatum originale non amissum, 183; quid velint Patres, libertatem amissam esse dicentes, 183.
Limbus puerorum non est fabula pelagiana, 191.
Linguae origo, 145; — diversitas nihil probat contra communem originem hominum, 124.
Locutio angelorum, 78; — vulgaris et secundum externam apparentiam in Scriptura, 15.
Lumen gloriae, 59.

Magia, quid, 93; possibilitas et veritas factorum magicorum, 93; num detur ars magiae, 93.
Malitia, vulnus malitiae, 184, 186.
Malum, naturae et malum poenae, 44.
Malum physicum, quomodo cum providentia Dei componatur, 43.
Malum morale, quomodo cum providentia Dei componatur, 44.
Mundus ab aeterno creatus, num repugnet 8, 9; — idealis et realis, 11.

Natura, quid, 49; — elevata, integra, lapsa, reparata, 146, 147.
Natura instituta, 185.
Naturale, quid, 49; in sensu improprio, 50, 148.
Nihil, ex nihilo nihil fit, 6.
Nomina daemonis, 83.

Oceania, quomodo incolas accepit, 125.
Opus bonum, quid, 60; distinctionis et ornatus, 19.
Optimismus, 8.
Ordo moralis, ejus substantia et complementum, 62.

Ordo supernaturalis, quid, 53; est possibilis, 54.

Pactum inter Deum et Adam non videtur admittendum, 172.

Paradisus, 141.

Parentes vere generant hominem, 130; non causant pecc. orig. in prole, 179; quo sensu eorum concupiscentia dici possit transfundere pecc. originale, 180; eorum justitia non impedit transfusionem peccati originalis, 180.

Patres graeci, quare minus aperte de peccato originali locuti sint, 163.

Patriarchae, eorum anni quam incerti, 125.

Peccatum, quid, 61; non univoce dicitur de mortali et veniali, 65; nec actuali et originali, 174; non reducitur in Deum tamquam in causam, 36; quomodo cum divina providentia componatur, 44; — originans, 151; — protoparentum, quid et quale, 154.

Peccatum mortale actuale, quid, 61; ejus malitia quodammodo infinita 64; — habituale, quid, 65; remissio peccati mortalis duo importat, 66.

Peccatum veniale actuale, quid, 62; ratio nominis, 64; quo sensu sit praeter ordinem et legem divinam, 63; quare nonnulla sint venialia tantum ratione objecti, 62; — habituale, quid, 67; ejus remissio, 67.

Paccatum originale, nomen, 151; adversarii, 156; exsistentia probatur ex S. Scriptura, 175 seq.; ex traditione, 162 seq.; suadetur ratione, 164; — non consistit in quadam entitate mala 165; neque in concupiscentia, 166; quae tamen vocari potest ejus pars materialis, 175; — non consistit in sola imputatione peccati Adae, 167; consistit in privatione gratiae, nobis imputabili ex nostra connexione cum Adam, 168 seq.; — comparatur cum peccato personali, 174; — naturali generatione traducitur, 176; et quidem generatione paterna, 177; — non fuisset si sola Eva peccasset, 176; — est in anima, ut in subjecto, 177; in semine ut in causa instrumentali traductionis, 177; explicatur modus, quo per generationem propagatur, 178; peccati originalis sequelae in hac vita, 182; non abstulit libertatem arbitrii, 183; ejus poena in vita futura, 188; — non pugnat cum justitia et bonitate Dei, 194.

Periodismus, 22.

Peyrère, ejus doctrina de praeadanitis, 121.

Pighius erravit circa essentiam peccati originalis, 167.

Poena peccati originalis in hac vita, 182; in altera vita, 188.

Poena sensus, num debeatur pro peccato originali, 190.

Poenitentia non datur proprie de peccato originali, 175; — protoparentum, 156; angelis lapsis non fuit occasio poenitendi, 84.

Poetismus, 24.

Polygenistae, 121.

Possessio diabolica, quid, 91;

possibilis est et aliquando contingit, 92; non est peccatum, nec semper poena peccati, 92; non facile admittendus casus possessionis, 94.
Potentia concupiscibilis et irascibilis, 185.
Potentia obedientialis, 52, 55.
Prae-adamitae, 121; opinio Fabre d'Envien, 122.
Praeceptum de non gustando fructu vetito, Deo haud indignum, 153.
Praeexistentianismus, 131.
Praemotio physica, quid, 37.
Praeternaturale, quid, 51; dona praeternaturalia protoparentum 135.
Privatio gratiae quo sensu de essentia peccati originalis, quo sensu ejus poena, 182; quomodo —, quae est de ratione peccati originalis, nobis sit imputabilis, 171; explicationes minus rectae, 172.
Protoparentes, quomodo orti, 113 seq.; gratia sanctificante donati, 132; quandonam, 134; praeternaturalibus donis nobilitati, 135; immunes a concupiscentia, 136; a necessitate moriendi, 139; a dolore, 140; in paradiso peccarunt, 151; quo peccato, 154; eorum poenitentia, 156.
Providentia latissime sumpta, 31; late sumpta, 38; stricte sumpta, 38; num sit immediate a Deo, 39; generalis, specialis, specialissima, 40; num orationem faciat intutilem, 41; ejus viae ignotae, 42; non excludit malum physicum, 43; nec malum morale, 44; nec inaequalem bonorum distributionem, 46.
Ratio superior et inferior, 136.
Rectitudo = immunitas a concupiscentia, vide *integritas*.
Remissio peccati mortalis duo importat, 66; — peccati venialis non ita, 67.
Rosmini erravit circa animam formam corporis, 100; circa originem animae, 128.
Ripalda de prop. damn. Baji, quae in ejus libris impressis non inveniuntur, 148.

Sanctitas et justitia, quid, 133.
Scheol quid, 110; conditio animarum in —, 110.
Scientia primi hominis, 144; — boni et mali, 154.
Serpens in paradiso, 153.
Secietates num habeant angelos custodes, 88.
Species, nulla — Deum repraesentare potest, sicuti est, 57.
Spiraculum vitae, quid, 97.
Spiritualitas animae, 104; quo sensu a nonnullis patribus negata, 105.
Status viae et termini, 59.
Status naturae purae, quid, 146; est possibilis, 147; difficultates, 148.
Status naturae elevatae, 146; — innocentis et integrae, 146; — lapsae et reparatae, 147.
Stirpes, diversae — humanitatis nihil probant contra communem originem, 123.
Subjectum peccati originalis, 177.
Substantiae, solae — proprie dicuntur creari, 3.
Supernaturale, quid, 50; — quoad modum et quoad substantiam, 51; secundum quid et simpli-

citer, 51; ejus nota positiva, 52; falsae notiones boni supernaturalis, 53.

Tentatio, quid, 90; non omnis — a diabolo, 90.
Theoria diluvialis, 21; — restitutionis, 21; — visionis, 25; — descendentiae, vide *evolutionismus*.
S. Thomas non docet desiderium visionis Dei nobis esse naturale, 57.
Traducianismus, 128.
Transformismus, vide *evolutionismus*.
Trichotomia, 101.
Ss. Trinitatis imago aut vestigium in creaturis, 9; in homine, 112.

Vetter explicat qua ratione lex de sabbato nitatur hexaëmero, 26.
Virtutes infusae, quid, 59.
Visio Dei intuitiva, quid, 55; est simpliciter supernaturalis, 56; dicitur beatifica, 56; — una cum mediis proportionatis constituit ordinem supernaturalem, 55; non est in homine desiderium innatum visionis Dei, 57; non datur animabus cum. pecc. origin. decedentibus, 188; num inde tristentur, 192.
Visionismus, 25.
Voluntarium in peccato originali, 171.
Voluntas nostra, num fuerit inclusa in voluntate Adae. 173.
Vulneratio naturae, 184: secundum alios: naturae historice sumptae, 185: secundum alios: naturae philosophice sumptae, 186; aequalis in omnibus, 188.
Vulnera ignorantiae, malitiae, infirmitatis, concupiscentiae, 184, 186.

Zahm ulteriorem distributionem libri *Evolution and dogma* impedivit, 115.

Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 01020 8249